

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (1)

1. INTRODVCTIO

Cum hōc annō 2009^o seminarium Latinitatis vivae in archiabbatiā Ottiliensi exhibituri essemus, mihi in animo erat brevem historiam huius monasterii abbatiaeque conscribere, ut lectoribus lectricibusque atque participibus futuris locum huius seminarii relatione quādam aliquatenus explicarem. Semper enim est opportunum aliquid de illis locis scire, in quibus versamur. Nam archiabbatia Ottiliensis, quae inter Monacum atque Landsbergam in Bavariā sita est, unā cum congregatione suā est magni momenti, non solum in loco suo ipso, sed etiam in toto orbe terrarum. Cum autem in historiam huius monasterii incumbere inciperem, statim animadverti «breviter» hac in re nihil fieri posse. Nam in legendo atque in libris materiisque perscrutandis celeriter comperi hanc historiam sub variis aspectibus esse maxime attractivam, sed multis ex causis etiam vere intricatam. Archiabbatia enim Ottiliensis nondum est nimis vetus atque ex parvis difficillimisque initiis paulatim excolta est in



*Archiabbatia Ottiliensis tempore recentiore desuper recepta.
[Photochartula Ottiliensis]*

magnum «vicum monasterialem», qui dicitur, atque in caput principale congregationis amplae atque in Benedictinum centrum missionis Christianae. Sic etiam fit, ut in historiā Ottiliensi describendā arti conexūs inter macrohistoriam, quae dicitur, et microhistoriam bene appareant atque respiciendi

sint.

His rebus compertis atque intellectis decrevi archiabbatiae Ottiliensis historiam ampliolem conscribere sperans fore, ut illi, qui hanc lucubrationem lecturi sunt, eventis historicis, problematis solvendis solutisque, personis agentibus, quaestionibus architecturae, condicione monasterii crescentis stabilitique similiter attraherentur ac ego ipsa in operando scribendoque. Maximo enim cum gaudio interno atque externo hęc opus conficiendum suscepi.

Huius operis titulum generalem satis significativum quaerentes archiabbate Ieremia Schröder auxiliante dictum exquisivimus, quod Sancto Ansgario, Benedictino monacho atque saeculi noni missionario regionis septentrionalis, adscribitur. Adam enim Bremensis Sancti Ansgarii indolem eiusque opera explicans de eodem scripsit eum fuisse «*intus monachum, foris apostolum*».¹ Haec vero sententia optime cōvenit Benedictinis Ottilianis, qui Sancti Benedicti praescriptum principale notissimumque, quod est «*ora et labora*», non solum modo stricto traditoque explent, sed sensum «laboris» insuper extendunt, cum officium sibi maxime cordi susceperint, id est Christianam missionem exteram. Itaque hos duos aspectūs coniungentes Ottiliani sunt et monachi et missionarii apostolique.

Tamen in unoquoque monasterio, quamvis ibīdem imprimis opera spiritualia respiciantur, etiam labores ad vitam cottidianam sustentandam exanclandi sunt. Monasteriis continentur eā de causā opificinae quōque varii generis, in iisdem agri animaliaque coluntur, incepta oeconomica exhibentur. Sic etiam in archiabbatia Ottiliensi. Praeterea - quod non est minimi momenti et quod cum toto scopo cohaeret - ab initio in coenobio Ottiliensi multum aedificabatur, sive in aedificiis restaurandis sive in aedificiis mutandis sive in novis aedificiis exstruendis.² Hi omnes aspectūs necessario in hac relatione respi-

¹ Adam Bremensis (ante 1050-1081/1085): Gesta Hammaburgensis ecclesiae pontificum I,33: «Interea beatus Ansgarius captivos redimendo, tribulatos refovendo, erudiendo domesticos, barbaris euangelizando, foris apostolus, intus monachus, numquam legitur ociosus.»

² Hac necessitate atque consuetudine praebetur causa iocandi. Solent enim ipsi Ottiliani abbreviationem, quae est OSB (Ordo Sancti Benedicti) hilariter solvere sententiā, quae est «O, Solent Bastimenta* (exstruere)» («Oh, Sie Bauen»). Cfr Jeremias SCHRÖDER: Zum Geleit. In: Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. Baugeschichte und Baugeschichten der Erzabtei St. Ottilien. St. Ottilien 2008, p. 7.

*) bastimentum, -ī n., i.q. aedificium. - Cfr DUCANGE: Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis (Graz 1954) I, pp. 597/98; J.F. NIERMEYER / C. VAN DE KIEFT: Mediae

ciendi erant, ut totius rei conspectus plenus praeberetur. Quā condicione tamen difficultates quaedam dispositionis solvendae erant. Sic ex. gr. historia aedificandi in ipsam historiam coenobii inseri non potuit, ne tota res nimis discerpta videretur. Alterā ex parte propriam descriptionem aedificiorum toti relationi subiungere nolui, cum etiam constructiones mutationesque aedificiorum artē cum singulis specialibusque spatiis temporis cohaerent. Hanc difficultatem solvere conata sum singulis phasibus historicis Ottiliensibus subiungens historiam aedificandi, quae ad easdem phases spectat.³ Spero autem fore, ut hunc in modum mihi contigit, ut conspectum satis clarum praeberem.

In fine autem huius introductionis gratiarum actio mihi est cordi. Imprimis gratias plurimas maximasque ago Reverentissimo Archiabbati Ieremiae Schröder OSB, cuius hōc opus ab initio intererat et qui eidem benigne amicaliterque favit. Deinde gratiae agenda sunt Fratri Davidi Gantner OSB, archivario Ottiliensi, cuius auxilio scite atque multipliciter exhibito multas materias ex archivo Ottiliensi depromptas inspicere eis que uti mihi licuit. Multum autem debeo omnibus auctoribus, qui ante me sub variis aspectibus in historiam Ottiliensem iam incubuerunt et imprimis recentiore tempore quasdam quaestiones speciales atque quaedam historica spatia temporis scientificè tractaverunt. Gratias etiam ago plurimas omnibus Ottiliensibus monachis et cooperatricibus cooperatoribusque non monasticis, qui praesentiā suā, operibus suis cottidianis, affabilitate suā, verbis benignis colloquiisque interdum sertis commorationes meas in archiabbatiā Ottiliensi reddiderunt iucundissimas, tranquillitatem internam mihi donaverunt atque magno gaudio me affecerunt hunc in modum praeter alia multum attribuentes, ut hōc opus ad bonum effectum adduceretur.

Latinitatis Lexicon Minus (Darmstadt ²2002) I, p. 116. - Verbum mediaevale, quod est «bastimentum», adhibui ad Theodiscum ludum verborum apte convenienterque imitandum, id quod aliquo verbo antiquo fieri non potuit.

³ Tamen vitari non potest, ut interdum quaedam res breviter iterentur vel etiam condiciones priore in conexū iam commemorantur, quae nonnullis annis post demum locum suum habent.

2. DE PRIMIS INITIIS

2.1. DE VITA P.RIS ANDREAE AMRHEIN DEQVE EIVS IMPETV MISSIONARIO

Initium historiae archiabbatiae Ottiliensis, quae nunc est, artissime coniunctum est cum persona P.ris Andreae Amrhein, qui erat eius primus fundator, cum eius impetū interno tota res instigata esset, eius perseverantiā opus incohari potuisset atque fundatio contra omnia obstacula promota esset.

2.1.1. De iuventute

Iosephus Georgius [*Josef Georg*] Amrhein⁴, qui nomine monastico postea Andreas appellabatur, natus est die 4^o m. Febr. a. 1844^o in Helvetico vico Gunzwil in pago Lucernensi sito.⁵ Puer autem videtur īdem saepius aegrotavisse, quā de causā coactus erat ab exercitationibus corporalibus abstinere atque magis in res spirituales incumbere, imprimis legere atque delineare solebat.⁶ Scholares classes elementarias frequentavit in schola regionali,

⁴ Fusius de Andreae Amrhein vitā priore imprimis agunt Leander BOPP: P. Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. St. Ottilien 1954, pp. 1 sqq. [Typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum] et Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. Beiträge zum Werden und Wirken der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. I. Gründung und Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. St. Ottilien ²1979, pp. 6 sqq. Qui auctores, quamvis agatur de fundatore congregationis, non solum eius merita exhibent, sed quasdam condiciones etiam critice aspiciunt. - De vitā Andreae Amrhein paulo brevius *cfr* etiam Heinrich Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. In: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei Sankt Martin, Beuron. Beuron 1963, pp. 231 sqq.; Laurenz KILGER: Die Missionsgedanken bei der Benediktinergründung von St. Ottilien und die Übernahme der Afrikamission. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 24, 1934, pp. 213 sqq.; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, pp. 115 sqq.; Theodor WOLF: Pater Andreas Amrhein. Portrait einer Gründergestalt und die Entstehung des Missionswerkes St. Ottilien auf dem zeitgeschichtlichen Hintergrund mit Ausblick auf die Gegenwart. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 54 sqq. - Biographiam autem scientificam P.ris Andreae Amrhein praeparat Cyrill SCHÄFER, qui iam scripta Andreae Amrhein edidit atque eius epistulas editurus est. Hunc librum futurum suspenso animo exspectamus.

⁵ Iosephi Amrhein pater Iohannes Georgius Amrhein, qui videtur fuisse agricola, iam anno 1845^o vitā functus erat. Eius mater Anna Maria duobus annis post nupsit Aloisio Amrein magistro, ex quo matrimonio sex liberi exorti sunt. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 3 sqq.

⁶ De his aliisque condicionibus iuventutis multa comperiuntur ex «Curriculo vitae» («*Lebenslauf*»), quod Andreas Amrhein illo tempore in Angliā versatus anno 1880^o

antequam anno 1857^o progymnasium Beronense⁷ intravit atque anno 1859^o ad gymnasium Lucernae situm transiit. Tamen mense Ianuario a. 1862ⁱ propter dissensiones cum direttore gymnasium reliquit, antequam examen maturitatis superavit.⁸ Immediate post Iosephus Amrhein tam graviter aegrotare coepit, ut propinqui iam de eius salute desperarent. Sed votis in honorem Sanctae Mariae prolatis idem reconvaluit. Tamen de aliquā inclinatione eius ad munus quoddam religiosum illo tempore nondum quicquam auditur.

Ad valetudinem plene recuperandam Iosepho Amrhein licuit in Italiam se conferre.⁹ Ibīdem in quasdam res historicas incubuit, sed imprimis arti se dedit. Nam Professor Pollastrini eum adhortatus est, ut Artis Academiae Florentinae se adiungeret. Illā in Academiā et in architectando et in delineando eruditus est. Tamen anno 1864^o in Helvetiam revertit, sed iam mense Octobri eiusdem anni Monacum se contulit, ubi privatim in studia artis incubuit. Iam autumnō anni 1865ⁱ Iosephus Amrhein Bavariam iterum reliquit et Parisios transmigravit. Ibīdem primo studia sua artis in museo Lūpāra¹⁰ continuavit, sed deinde magis in opus litterarium exarandum incubuit, quo agebatur de quaestione, «*qualis perceptio pulchritudinis secundum monumenta litteraria artisque temporibus vetustissimis viguisset*».¹¹

Illo spatio temporis Parisīno videtur Iosephi Amrhein interna conversio vitae paulatim iam incohata esse, quae quaestio de sensū vitae suae eo magis ipsum

conscripsit. Illum quōque textum originaliter manū scriptum edidit Cyrillus SCHÄFER: *Der Gründer. P. Andreas Amrhein OSB (1844-1927). Schriften. St. Ottilien 2006*, pp. 15 sqq. - Generaliter autem dicendum est in omnibus scriptis P.ris Andreae Amrhein respiciendum esse spatium temporis, quo composita sint, atque deliberandum esse, quem ad finem tale scriptum exhibuerit et quid lectoribus significare voluerit. Itaque sub talibus aspectibus quaedam enuntiata modificanda sunt. Tamen talia sunt problemata generalia autobiographiarum.

⁷ Berona: *Beromünster*.

⁸ Causa exacta harum dissensionum nescitur, cum Andreas Amrhein de hac res solum scribat in aliquo eventū se innocentem ab direttore laesionem honoris passum esse. *Cfr* Andreas AMRHEIN: *Lebenslauf*. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 7. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 6.

⁹ De hōc spatio temporis atque de annis insequentibus *cfr* Andreas AMRHEIN: *Lebenslauf*. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 19 sqq. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 7 sq.; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), pp. 6 sq.; Suso BRECHTER (1963), pp. 232 sq.; Theodor WOLF (2003), pp. 54 sq.

¹⁰ *Louvre*. - *Cfr* DUCANGE: *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis* (Graz 1954) V, p. 154; Christian HELFER: *Lexicon Auxiliare*. Saraviponti ³1991, p. 354.

¹¹ Andreas AMRHEIN: *Lebenslauf*. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 21.

commovit Caroliruhae, in quā urbe inde ab anno 1866^o versabatur et ubi etiam praedicationes P. ris Petri Roh Iesuitae audiverat. Tamen munus sacerdotis suscipere nondum definitive paratus erat, quamvis deliberationes praeviae ei iam fuissent, ut ipse postea scripsit.¹² Nam cum semet ipsum fidei Christianae magis adiunxisset, ei desiderium exortum est, quo aliis quōque tale beneficium tradere vellet. Tempore vernali anni 1867ⁱ Iosephus Amrhein denuo Parisios revertit, ubi mense Iunio eiusdem anni, festo Pentecostis, eventū sibi quōque mirō¹³ dubitationes suas deposuit atque pro certo habuit se sacerdotem fieri velle.¹⁴

Itaque Iosephus Amrhein mense Iulio a. 1867ⁱ Parisios reliquit atque Lucernam se contulit, quo in loco «*studia quinque annis ante derelicta*»¹⁵ denuo suscepit. Quamvis ipse de hac re non plura dixerit, videtur agi de examine maturitatis privatim praeparando.

Illis quinque semis annis, ex quibus Iosephus Amrhein gymnasium reliquerat, idem quandam intranquillitatem et internam et externam exhibet. Non solum certus non est de futuro munere exanclando, sed etiam satis saepe locum

¹² Andreas AMRHEIN: Lebenslauf. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 21; Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe eines Missionsberufes. Erster Teil (1866-1870). In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 33. - Cyrillus SCHÄFER (2006), pp. 27 sq. in introductione huius textūs explicat, quomodo hoc aliud scriptum autobiographicum exortum sit. Nam P. Andreas Amrhein anno 1888^o in primis fasciculis periodici, cui titulus est «*Paginae missionariae*» [«*Missionsblätter*»] quattuordecim epistulas divulgavit, quas originaliter ad iuventutis amicum quendam Helvetium direxerat et quibus tunc titulum, qui est «*De initiis atque pugnis vocationis missionariae*», imponens lectoribus vicissitudines vitae suae sub impetū missionario tamquam exemplum praebere voluit. Quadraginta annis postquam primae epistulae compositae sunt, P. Andreas Amrhein secundam (1870-1884) et tertiam partem (1885-1887) talium epistularum conscripsit, quae tunc ad Beuronensem archiabbatem Ildefonsum Schober directae erant et quibus gesta vitae suae quadamtenus defendere voluit verisimiliter sperans fore, ut hae quōque partes divulgarentur. Eaedem autem ante editionem Cyrilli Schäfer tantummodo manū scriptae sive typoscripto copiatas exstiterant.

¹³ Scripsit ipse Amrhein se illo die bene mane voce quādam clarā expergefatum esse, quae dixit: «*Omnia relinque*», ex quo facto unā cum aliis rebus certitudo de sacerdotio suo sibi fuisse. - Cfr Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 1. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 36. - Leander BOPP (1954), p. 9; Suso BRECHTER (1963), p. 234.

¹⁴ In epistulā quādam die 25^o m. Ian. a. 1882^o datā Amrhein scripsit se propter sacerdotium futurum sponsam reliquisse. Videtur autem hic locus unicus esse, quo ipse de aliquā sponsā loquitur. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 9; Suso BRECHTER (1963), p. 234. Uterque illam epistulam commemorat.

¹⁵ Andreas AMRHEIN: Lebenslauf. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 23.

vivendi mutat. Incertitudo quaedam certe iuventuti adscribenda est, tamen posterioribus quōque annis - ut videbimus -, cum scopum visionemque suam stricte sequeretur, saepe agitatio quaedam in ipso animadvertitur.¹⁶

Anno 1868^o Iosephus Amrhein in studiorum universitate Tubingensi studia theologica atque philosophica incohavit. Tubingae docuerunt professores illo tempore notissimi Iohannes von Kuhn dogmaticam, Mauricius [*Moritz*] von Aberle exegesim et Cárolus Iosephus [*Karl Joseph*] von Hefele historiam ecclesiasticam. Iosephus Amrhein videtur imprimis cum Cárolo Iosepho von Hefele coniunctus fuisse.

Ex quo tempore Iosephus Amrhein serio de inclinatione suā missionariā deliberaverit, non satis certo constat.¹⁷ Videntur vero quaedam cogitationes huiusmodi inter studia theologica iam adfuisse. Tamen ex historiae ecclesiasticae praelectionibus Professoris von Hefele Iosephus Amrhein impulsūs maioris momenti accepit, cum ille professor explicuisset, quid Benedictini ad Christianitatem atque cultum civilem diffundendum contulissent.¹⁸ Itaque eius dubitationes, num sacerdos saecularis solus fieri posset missionarius bonus efficaxque aliquatenus solvebantur cognoscentiā, quā intellexit tantummodo communitate, imprimis Benedictinā, rectos missionarios exoriri.

Festo Pentecostis anni 1870ⁱ Iosephus Amrhein unā cum tribus commilitonibus ad Benedictinum monasterium Beuronense itineratus est, in quo exercitia spiritualia participaturus erat. Videntur autem omnia, quae ibīdem vidit et expertus est, Iosepho Amrhein plurimum placuisse eumque vehementer attraxisse. Tamen reservatio quaedam mentalis ei erat, cum deliberaret, num ibīdem impetum suum missionarium explere posset, quia monasterium Beuronense esset omnino contemplativum.¹⁹

¹⁶ Quae agitatio atque intranquillitas non omni ex parte explicari potest ex plurimis operibus atque ex multis difficultatibus superandis.

¹⁷ Etiam si in primā parte scripti de «*initiis atque pugnis vocationis missionariae*» idem affirmat inter studia Parisina se de missione paganorum iam cogitavisse. - *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 1. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 36 sq.

¹⁸ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 1. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 39; Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 61; Andreas AMRHEIN: Die VII Grundgedanken der Eingabe zur Gründung der Congregatio O.S.B. pro missionibus exteris (1921). *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 449, adn. a. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 11; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 8; Suso BRECHTER (1963), pp. 234 sq.; Theodor WOLF (2003), p. 54.

¹⁹ Catharina principissa Hohenzollerana anno 1863^o aedificia prioris coenobii Augustinorum prope Sigmaringam sita fratribus Mauro et Placido Wolter, monachis

Eventūs autem, qui sequebantur, difficultates quaedam praebent, praesertim quod attinet ad recordationes atque explicationes ab P.re Andrea Amrhein postea exhibitas. Traditur enim Iosephum Amrhein illo tempore Pentecostali abbati Mauro Wolter²⁰ eodem interrogante dixisse haec: «*Si Benedictini Beuronenses opera missionaria colerent, gratiam mihi fieri existimarem me hic suscipi. Ex initio studiorum meorum theologorum tribus annis ante missionem exteram apud paganos tamquam munus atque scopus vitae mihi elegeri.*»²¹ Abbatem autem respondisse dicitur eum hunc scopum nusquam alibi melius adipisci posse ac in Ordine Benedictinorum. Similia verba postea magistrum novitiorum P. Benedictum Sauter²² protulisse.²³ Propter talia responsa sibi positiva Iosephus Amrhein monasterium Beuronense intrare constituit.



*Abbas Maurus Wolter.
[Cfr Cyrill SCHÄFER: Stella
Maris. St. Ottilien 2005, p. 28.]*

Tamen posteriores investigatores suspicantur illa colloquia non omnino ita se habuisse. Nam et ex ipsis condicionibus Beuronensibus illo tempore vigenti-

Benedictinis, donaverat, ut ibidem monasterium Benedictinum conderent. Iidem autem hōc monasteriō renovationi liturgicae monasticaeque operam dederunt. Beurōnense autem monasterium anno 1868^o ad dignitatem abbatiae evectum est.

²⁰ De Mauro Wolter (1825-1890) *cfr* LThK 10 (2001), coll. 1284 sq.

²¹ Textus originaliter Theodiscus. - Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 64: «Wenn die Beuroner Benediktiner Missionstätigkeit pflegten, würde ich es für eine Gnade halten, hier Aufnahme zu finden. Ich habe mir seit Beginn meiner Theologiestudien vor drei Jahren die ausländische Mission unter den Heiden zum Beruf und Lebensziel erkoren.» - *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 1. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 55, ubi quidem brevius de ipsis colloquiis refert.

²² P. Benedictus Sauter inde ab anno 1885^o erat primus abbas, cui Pragense monasterium Emaus traditum erat. - *Cfr* Paulus WEISSENBERGER: Das Benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert (1800-1950). Beuron 1953, p. 39, nr 206.

²³ Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 64. - Aliquotenus tamen dubitandum est, an P. Benedictus Sauter talia protulerit, cum novitios omnino ad vitam contemplativam erudire solitus esset atque ei persuasum esset apostolatam exterum non congruere cum verā vitā Benedictinā.

bus et ex aliis fontibus non prorsus congruentibus putant neque Iosephum Amrhein tam clare vocationem suam missionariam protulisse²⁴ neque abbatem Maurum Wolter tam clare ei hac in re aliquid promississe, sed verba abbatis potius magis generalia atque officiosa fuisse.²⁵ Nihilominus videtur abbas Maurus Wolter talem virum optimā indole praeditum, qualis Iosephus Amrhein erat, libenter in monasterium suum recipere voluisse.²⁶ Fortasse uterque veram intentionem alterius non funditus intellexit. Nihilominus hae perceptiones pro cursū eventuum sunt maioris momenti.

Secundo autem die exercitiorum Iosephus Amrhein abbatem officialiter rogavit, ut in monasterium Beuronense susciperetur, id est abbati reliquit decernere, num ipsi vocatio ad monasterium Beuronense esset. Proximo die Amrhein responsum abbatis accepit «voluntatem Dei» esse, ut in monasterium Beuronense intraret. Quaestio solum exstitit, utrum statim ei manendum esset an ad studia complenda Tubingam reverteret.²⁷ Abbate autem suadente Iosephus Amrhein statim in monasterio mansit et solum postea aliquando ad res suas ordinandas breviter Tubingam revertit.

²⁴ Hac in re primo dicendum est P.ris Andreae Amrhein recordationes relatas multis annis post ipsum eventum conscriptas esse et etiam sub aspectū rationis reddendae compositas esse. Alterā ex parte Leander BOPP (1954), pp. 12 sqq. aliis enuntiatis Andreae Amrhein adhibitis explicat eundem anno 1870^o nondum explicite missionem exteram paganorum in animo habuisse, sed potius magnum impetum muneris pastoralis. Demum inde ex anno 1873^o hunc eius impetum immediate ad missionem paganorum directum fuisse, quod verisimilius esset. - Recte etiam Fritz BORNEMANN: Ein Briefwechsel zur Vorgeschichte von St. Ottilien. [Studia Instituti Missiologici Societatis Verbi Divini. 6]. St. Augustin / Siegburg 1965, p. 85 monet saeculo undevicesimo verbum, quod est «missio», terminum sensūs multo amplioris fuisse. Itaque in scriptis P.ris Andreae Amrhein hōc verbum etiam varias significationes habet, et solum sub hōc aspectū internus eius progressus cogitandi bene intellegitur.

²⁵ Cfr Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 8 adn. 15; Suso BRECHTER (1963), p. 236.

²⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 14; Suso BRECHTER (1963), p. 236.

²⁷ Cfr Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 1. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 55; Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 64. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 14; Suso BRECHTER (1963), p. 236. - Iosephus Amrhein videtur dissertationem incohavisse, quam paene ad finem iam duxerat. - In fontibus autem atque in litteratura usque nunc invenire nondum valui, num Iosephus/Andreas Amrhein studia theologica aliquando examine quodam complevisset.

2.1.2. De tempore Beuronensi

Postquam Iosephus Amrhein hunc in modum se in monasterium Beuronense intraturum esse decrevit, die 10^o m. Iul. a. 1870^o susceptione habitūs candidatus factus et quinque mensibus post die 21^o m. Dec. a. 1870^o sollemniter in novitiatum receptus est, quā occasione nomen apostoli Andreae ei datum est.²⁸ Itaque Fr. Andreas Amrhein tunc illo loco esse videbatur, ad quem totā intentione internā tenderat. Tamen secundum existimationem ipsius, quam multis annis post protulerat,²⁹ novitiatum sibi fuit «*martyrium corporis atque animae*», cum ab magistris praepositisque suis iniuste tractatus esset. Quod ei difficultates corporales erant, non quidem est nimis mirandum, cum iam ex pueritiā eius valetudo non erat ita stabilita. Vexatio autem animae inde exorta est - ut scripsit -, quia ipsius impetus missionarius supprimeretur. Videntur vero eius cogitationes ad missionem spectantes illo tempore paulatim clariores factae esse, quā de causā - ut ipse confitetur - etiam cum praepositis de hōc themate disputavit. Tamen illi talia non ita amabant, cum Beuronensibus actiones externae omnino non in animo essent.³⁰

Difficultates internae videntur tam magnae fuisse, ut Andreas Amrhein novitiato finito monasterium relinquere iam vellet. Cum īdem abbati cogitationes suas aperiret, ille ei minatus esse dicitur eum perditum esse, si hōc faceret. Andreas Amrhein ergo territus mansit et festo Natalicio anni 1871ⁱ professionem fecit, id est vota simplicia aeternaue suscepit.³¹ Deinde subdiā

²⁸ De tempore Beuronensi *cf.* Leander BOPP (1954), pp. 15 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 10; Laurenz KILGER (1934), pp. 213 sqq.; Suso BRECHTER (1963), pp. 236 sq.; Godfrey SIEBER (1992), pp. 118 sqq.; Theodor WOLF (2003), pp. 57 sq.; Frumentius RENNERT: Die Kongregation von St. Ottilien und ihre Filiationen. Zum hundertjährigen Bestehen St. Ottiliens. *In:* Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, pp. 22 sq.;

²⁹ Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In:* Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 66.

³⁰ Leander BOPP (1954), pp. 17 sq. adnotare solet P. rem Andream Amrhein solum in epistulis autobiographicis quadraginta annis post scriptis de iniuriā sibi inflictā locutum esse. Aliis in epistulis prioribus eum tantummodo de patientiā sapientiāque magistrorum deque similibus condicionibus commoventibus rettulisse.

³¹ Leander BOPP (1954), pp. 19 sqq. deliberationes criticas exhibens miratur, quid illo tempore factum sit, cum putet esse quadamtenus aenigma psychologicum. Nam unā ex parte abbatis interesse non potuisse talem virum in monasterium accire, qui existimatus esset hypochonder et qui desideria ad opera externa habens scopis Beuronensibus non congruisset. Tamen abbas Maurus Wolter videtur Andream Amrhein magni aestimavisse. Alterā ex parte ipsius Andreae Amrhein modum se gerendi illo tempore mirum fuisse, cum, quamvis vitam sui iuris satis diu iam degisset, tam timidus neque sui

conus ordinatus est die 10^o m. Apr. a. 1872^o, duobus diebus post diáconus. Die 16^o m. Iul. a. 1872^o sacerdotio auctus est et die 2^o m. Febr. a. 1875^o vota sollemnia suscepit.³²

P. Andreas Amrhein monachus Beuronensis atque sacerdos factus erat, tamen decursū temporis eius impetus missionarius auctus et etiam magis ad missionem exteram directus est. De quo desiderio explendo superiorem suum rogare non desiit. Ut monachum non ita contentum ad tranquillitatem internam reduceret, abbas Maurus Wolter P.ri Andreae Amrhein varia munera tradidit, quae saepe aliis quōque locis ei exanclanda erant.³³ Itaque autumnō anni 1872ⁱ P. Andreas unā cum quattuor patribus³⁴ atque tribus fratribus in Belgium missus est, quo Beuronenses ad abbatiam condendam invitati sunt.³⁵ Locus autem erat Maretiolum³⁶ in dioecesi Namurcensi situm.³⁷ Condiciones autem ibīdem, sicuti in foundationibus novis esse solent, erant difficiles.³⁸ Cum autem P. Andreas Amrhein quōque aegrotare inciperet atque in ipso inveniretur morbus medullae spinalis, qui - ut medicus existimavit - esset insanabilis, abbas Maurus Wolter eum Beurōnam revocavit. Ibīdem P.ri Andreae omnino parcebatur, quod ipsi non ita placuit. Tamen post duas

arbitrii esset. - Videtur autem Andreas Amrhein, quamvis alia iam experta esset, adhuc putavisse Beuronenses aliquando veterem traditionem Benedictinam, id est apostolatam, iterum suscepturos esse.

³² *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 21; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 10; Laurenz KILGER (1934), pp. 213; Suso BRECHTER (1963), pp. 239.

³³ Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 11 non falso, ut puto, scribit abbatem contra propriam voluntatem talibus muneribus P.ri Andreae Amrhein ad futurum munus missionarium erudiendum curavisse.

³⁴ Inter illos patres etiam erat Hildebrandus de Hemptinne, qui anno 1890^o abbas Maretiolensis et anno 1893^o abbas primas confoederationis Benedictinae factus est. - *Cfr* LThK 4 (1995), col. 1419; Paulus WEISSENBERGER (1953), pp. 49/50, nr 283.

³⁵ Belgica familia Declée in praediis suis aream satis magnam et etiam pecuniam praebuerat ad monasterium condendum.

³⁶ *Maredsous*.

³⁷ De brevi historiā Maretiolensi *cfr* ex. gr. Caelestis EICHENSEER: De Belgica Benedictinorum abbatia Maredsolana (anno 1872^o condita). *In*: VOX LAT. 142, 2000, pp. 535 sqq.

³⁸ De his condicionibus breviter Leander BOPP (1954), pp. 21 sq. - Ceterum aedificia monasterii Maretiolensis architectus Iohannes Baptista [*Jean-Baptiste*] Bethuné construxit modo neo-Gothico, qui dicitur. Hōc genere aedificandi postmodum et Hildebrandus de Hemptinne in Romano monasterio collegioque Sancti Anselmi exstruendo instigatus est et Andreas Amrhein in monasterio Ottiliensi aedificando.

commorationes atque curationes in patriā Helveticā habitas de morbo supra commemorato non iam quicquam remansit, praeter inclinationem ad rheumatismum atque extremam concitationem nervorum.³⁹

Cum P. Andreas Amrhein aestate anni 1875ⁱ Beuronam reverteretur, ibīdem magnae difficultates exortae erant. Nam propter leges Maiales «conflictationis culturalis»⁴⁰ conventus Beuronensis dissolvebatur atque monachi in exilium se conferre cogebantur. Conventus autem in tres partes partitus est: primus grex ad monasterium Maretiolense transmigravit, secundus grex primo unā cum abbate in monasterium Ordinis Servorum Mariae in Tirolia situm receptus est, tertius grex Beurōnae remansit, quod tamen non iam monasterium habebatur, sed palatium principale. Catharina principissa Hohenzollerana ibīdem ad rem servandam aulam suam instruxit. P. Andreas Amrhein ad tertium gregem pertinebat. Īdem cappellanus aulicus atque instructor fratrum factus est, qui fratres quidem partes famulorum aulicorum egerunt.

Ab scopo suo missionario P. Andreas Amrhein tamen non abstinuerat. Etiam illis annis - sicuti postea quōque iterum iterumque - praepositos suos de hac re adiit. Sed semper responsa negativa accepit.⁴¹ Itaque epistulariter ad Arnoldum Janssen, directorem domūs missionariae in loco Steyl sitae,⁴² se convertit condicione suā explicatā eum interrogans, quid Janssen de vocatione Andreae Amrhein sentiret. Qui ei respondisse videtur esse voluntatem Dei, quā Amrhein id ageret, ut Ordo Benedictinus veterem traditionem suam missionariam iterum suscipere.⁴³ Hac confirmatione P. Andreas Amrhein

³⁹ Cfr Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 77 sqq. - Leander BOPP (1954), pp. 22 sq.; Suso BRECHTER (1963), pp. 239 sq.

⁴⁰ De «conflictatione culturali» vide *infra*.

⁴¹ Secundum Andream AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 82 superiores dixerunt hunc impetum imssionarium esse «*tantummodo temptationem diaboli*».

⁴² P. Arnoldus Janssen SVD (1837-1896) anno 1875^o in Nederlandico vico Steyl «Societatem Verbi Divini» condiderat, quā missionarii futuri erudirentur. Anno 1887^o ĩdem etiam instituerat «Congregationem Missionalem Servarum Spiritūs Sancti», quae sorores piae cooperatione labores missionariorum sustentarent. - Cfr Harald WAGNER: s.v. Janssen, Arnold. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 2 (1990), col. 1552; LThK 5 (1996), coll. 746.

⁴³ Cfr Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 82. - Leander BOPP (1954), pp. 24 sq.; Suso BRECHTER (1963), p. 241. - Quamvis Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 11 scribat hunc primum contactum cum

intrinsecus magis stabilitus erat. Tamen adhuc longe ab illo temporis momento aberat, quo desiderium ipsius revera expleretur.

P. Andreas Amrhein mense Iunio a. 1876ⁱ denuo ad monasterium Maretio-lense missus est, ut ibidem versaretur atque cooperaretur.⁴⁴ Multis autem variisque rebus illo tempore occupatus erat. Non solum muneribus infirmarii atque cantoris fungebatur, sed etiam in quaestiones historico-theologicas incubuit, in monasterio picturis exornando adiuvit,⁴⁵ inventa technica curavit.⁴⁶ Cum in fine eiusdem anni abbas Maurus Wolter Maretium visita-ret, P. Andreas Amrhein hac occasione nactus denuo suppliciter rogavit, ut permissionem in rebus missionariis operandi ei daret. Sed etiam hac vice sine effectū. Itaque sive eodem anno sive anno insequente, cum nonnullos dies Gandavi⁴⁷ esset, P. Andreas Amrhein P. rem Küntgen, rectorem collegii Iesu-itarum, adiit eodem modo sicuti iam antea Arnoldum Janssen interrogans, num vocationem ipsius aestimaret veram solidamque. Nonnullis mensibus post etiam ab illo responsum omnino affirmativum accepit. Circiter idem spatium temporis, id est die 5^o m. Aug. a. 1878^o, cum unā cum Maretio-lensi priore Gerardo [*Gérard*] de Caloen peregrinationem piam ad locum Affli-

Arnoldo Janssen demum anno 1879^o fuisse, Leander BOPP (1954), p. 24 existimat hoc iam antea fuisse. Hac in re eum sequitur Suso BRECHTER (1963), p. 241.

⁴⁴ De alterā commoratione Maretio-lensi *cf.* Leander BOPP (1954), pp. 25 sqq.; Suso BRECHTER (1963), pp. 241 sq.

⁴⁵ Sic ex. gr. in oeco, qui modo transitorio cappella erat atque postea refectarium fiebat, magnam imaginem Sacratissimi Cordis Iesu pinxit. Etiam cappellam abbatis ibidem picturis exornavit.

⁴⁶ In eo, quod P. Andreas Amrhein erat homo optimā indole praeditus atque quodammodo ingeniosus, omnes congruunt. Ad occupationes eius praedilectas praeter architecturam etiam scientiae naturales atque inventa technica pertinebant. Ex. gr. tempore, quo cappellanus aulicus erat, principissae Catharinae, cum eadem sellā subrotatā uti cogere, anabathrum quoddam simplex construxit. Tempore Maretio-lensi praeter alia scriptum amplum delineationesque exaravit, quibus agebatur de currū electrico, quo sine orbitis vectatio libera in viis fieri posset. Etiam tempore Ottiliensi videtur multas ideas huiusmodi habuisse. Cum munere se abdicaverit, dicitur idem in magnum inventum incubuisse, de quo tamen non plura comperiuntur. - *Cfr.* ex. gr. Leander BOPP (1954), p. 24, pp. 26 sq., p. 265; Suso BRECHTER (1963), p. 240, p. 241; Andreas JANIKOWSKI: P. Andreas Amrhein - Künstler, Erfinder, Klostergründer (2002), p. 6. <http://www.erzabtei.de/html/Jahrbuch/2002/Amrhein/amrhein.html>. Ibidem plura alia inventa Andreae Amrhein breviter commemorantur, quorum delineationes exactissimae explicationesque in archivo Ottiliensi conditae sunt. Certe esset operae pretium in hunc quoque aspectum specialiter incumbere.

⁴⁷ *Gent.*

genium⁴⁸ faceret, ibīdem vota obtulit se, simulatque secundum oboedientiam liceret, institutum missionarium conditurum esse, cuius fundamentum foret regula oblatoꝝ Benedictinoꝝ.⁴⁹

Condiciones autem paulatim atque lente mutatae sunt. Nam mense Maio a. 1879ⁱ P. Andreas Amrhein iussū Maretiolensis abbatis Placidi Wolter⁵⁰ Landshutum⁵¹ in Bavariā Inferiore situm ad novum inventum quoddam inspiciendum missus est. Deinde īdem nonnullos menses in monasterio Beuronensi versatus est. Illo tempore abbatem Maurum Wolter denuo ob vocationem suam missionariam adiit atque reprobationem accipiens plene desperatus rogationes abbati iterum exhibere noluit, cum eodem die in lectione verba audiret,⁵² quibus animo restituto tamen novum conamen suscipere instigatus est. Itaque proximo die, id est 11^o m. Sept. a. 1879^o, abbatem denuo de eādem quaestione rogans ab ipso responsum accepit hōc: «*Si post tres annos oboediens te praestiteris, sanus fueris et adhuc eandem inclinationem habueris, desiderium tuum explebo, - immo, ipse meā sponte ad missionem te destinabo.*»⁵³

Quamvis P. Andreas Amrhein hunc in modum magnum progressum fecisset, ut ipsi videbatur, tamen temporis spatium exspectandi ei impositum est.

⁴⁸ *Afflighem.*

⁴⁹ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In:* Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 90. - Leander BOPP (1954), p. 28; Suso BRECHTER (1963), p. 243; Laurenz KILGER (1934), p. 214.

⁵⁰ Placidus Wolter, frater Mauri Wolter, inter annos 1878^{um} et 1890^{um} abbas Maretiolensis erat, qui anno 1890^o archiabbas Beuronensis atque successor fratris sui factus est (usque ad annum 1908^{um}). - *Cfr* LThK 10 (2001), coll. 1285 sq.

⁵¹ *Landshut.*

⁵² Erant verba S. ti Alfonsi Rodriguez SJ, quibus īdem confirmavit iteratas rogationes non esse contra oboedientiam, cum putari posset superiorem tantummodo constantiam monachi probare velle. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 29; Suso BRECHTER (1963), pp. 243 sq.

⁵³ Sententia originaliter Theodisca. - *Cfr* Suso BRECHTER (1963), p. 244; Leander BOPP (1954), p. 29, qui textum secundum epistolam Andreae Amrhein die 25^o m. Ian. a. 1882^o datam afferunt. - Leander BOPP (1954), pp. 29 sq. hōc in conexū adnotat scaenae descriptioni in epistolā adhibitae confidendum esse, cum haec epistula ad ipsum abbatem Maurum Wolter directa esset. Alterā ex parte scaenam magis theatralem triginta annis post descriptam (Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In:* Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 91 sq.) esse quadamtenus ex phantasiā mutatam atque exaggeratam. Subiungit Leander BOPP talibus in rebus semper respiciendum esse annum, quo textus quidam scriptus sit.

Itaque interea breviter ad monasterium Maretioleense revertit, ubi cogitationes suas de instituto missionario condendo, quae interim iam magis concretae redditae sunt, conscribere coepit.⁵⁴ Mense Novembri a. 1880° P. Andreas Amrhein unā cum confratre quōdam in Angliam ad prioratum Erdingtonianum⁵⁵ missus est, ubi et in gymnasio monasteriali recenter condito mathematicam, physicam artemque delineandi docuit et curam pastoralem quōque gessit.

In initio anni 1882ⁱ, cum illi tres anni exspectationis transacti essent, P. Andreas Amrhein duas epistulas longas ad abbatem Maurum Wolter scripsit recordationem promissionis evocans condicionesque suas explicans atque probationem «practicam» in aliquo instituto missionario proponens. Quamvis responsum abbatiale non omnino positivum fuisset, abbas P.ri Andreae Amrhein propter eius perseverantiam tamen permisit, ut ad vires suas probandas exercendasque ad tempus quoddam ad «S. ti Iosephi Societatem», quae appellatur «*Mill Hill*»,⁵⁶ se conferret.⁵⁷ Post brevem visitationem atque consultationes cum rectore instituti habitas P. Andreas Amrhein die 16° m. Mart. a. 1882° in institutum, quod est «*Mill Hill*», advenit.

In illo Anglico instituto missionario P. Andreas Amrhein multis in rebus cooperabatur et ad omnia opera habilem se praestitit.⁵⁸ Sed imprimis eius propria consilia videntur ibīdem maturuisse. Nam scriptum programmaticum

⁵⁴ Specialiter de P. ris Andreae Amrhein cogitationibus missionariis *vide infra*.

⁵⁵ Erdington (prope Birminghamiam [*Birmingham*]). - Ibīdem Anglicanus pastor Daniel Haigh, qui postea ad fidem catholicam conversus est, sumptibus propriis ecclesiam neo-Gothicam atque magnam domum parochialem extruendas curavit, quae aedificia deinde Beuronensibus ad usum tradidit. Illo tempore, quo Andreas Amrhein ibi versabatur, Hildebrandus de Hemptinne erat prior huius domūs.

⁵⁶ Herbertus [*Herbert*] Vaughan episcopus anno 1866° prope Londinium «Sancti Iosephi Societatis Missionis Exterae» [*St. Joseph's Society for Foreign Missions of Mill Hill*] condiderat. Haec societas missionaria imprimis in coloniis Britannicis operabatur.

⁵⁷ In primā epistolā responsoriā per Placidum Wolter missā monetur Andream Amrhein permissionem anni 1879ⁱ non recte percepisse, eidem tamen licere illam «Consociationem Missionariam *Mill Hill*» ad vires comprobandas visitare. Uno mense post denique Andreas Amrhein abbatis permissionem definitivam accepit, quā commoratio semianni in illa societate missionariā ei concessa est. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 35 sq.; Suso BRECHTER (1963), p. 245; Laurenz KILGER (1934), p. 214; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 36, nr 185.

⁵⁸ De hōc tempore *cfr* Leander BOPP (1954), pp. 36 sqq.; Suso BRECHTER (1963), pp. 246 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), pp. 119 sq.

Anglice compositum exaravit,⁵⁹ quo explicuit se institutum fratrum laicorum condere velle, qui auxiliores sacerdotibus missionariis adessent et operarentur in scholis, in valetudinariis, in agricultura similibusque in rebus. Episcopo Herberto Vaughan tales deliberationes valde placuerunt, similiter regi-
mini Societatis Missionariae Anglicae, quod die 12^o m. Apr. a. 1882^o de hac re consuluit.⁶⁰ Episcopus Herbertus Vaughan P.ri Andreae Amrhein iam mandatum tradere voluit, quo ille institutum additiciū ad missionarios laicos erudiendos conderet, quod cum Missionariā Societate Anglicā cohaereret. Tamen variis ex causis hōc non est factum.⁶¹ Sed alius progressus quidam in condicionibus P.ris Andreae Amrhein ēvēnit. Nam propter testimonium, quod Fr. Benoît praepositus Societatis Anglicae ad abbatem Maurum Wolter miserat et quō īdem de vocatione missionariā P.ris Andreae omnino positive atque affirmative diiudicaverat,⁶² abbas Maurus Wolter P.ri Andreae licentiam officialem praebuit, quā ille alicui societati missionariae se adiungere posset, sed quā oboedientiae quidem superioris illius societatis subiectus esset, tamen coniunctio ipsius cum congregatione Beuronensi non esset mutata.⁶³ Itaque P. Andreas Amrhein Societati Millhillianae se adiunxit

⁵⁹ *Cfr* Andreas AMRHEIN: The Religious Institute of the «Missionary Brothers» of St. Joseph's Society of the Sacred Heart for Foreign Missions. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 279 sqq. - In titulo huius scripti mirum est, quod P. Andreas Amrhein institutum futurum «Missionis Exterae Societatem Sacratissimi Cordis» appellat. Nam haec coniunctio cum Sacratissimo Corde (etiāsi hic verisimiliter agitur de Beata Maria Virgine) in nomine foundationis non iam apparet, usque dum anno 1897^o Ildelfonso Schober instigante roganteque monasterium Ottiliense sub titulo Sacratissimi Cordis Iesu dedicatum est. - De hac re *vide infra*.

⁶⁰ Leander BOPP (1954), p. 38 et Suso BRECHTER (1963), p. 247 per errorem annum 1884^{um} indicant. Cyrill SCHÄFER (2006), p. 277 in introductione ad hōc scriptum programmaticum recte de anno 1882^o scribit.

⁶¹ Unā ex parte aedificium huic rei provisum P.ri Amrhein non ita aptum videbatur, alterā ex parte dicitur P. Andreas Amrhein iam illo tempore in animo habuisse se tale institutum tantummodo cum candidatis Germanis incohaturum esse. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 39; Suso BRECHTER (1963), p. 247.

⁶² *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 103. - Suso BRECHTER (1963), pp. 247 sq.; Laurenz KILGER (1934), p. 215; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 13; Leander BOPP (1954), p. 41, qui etiam originalem textum Francogallicum exhibet et cum textū ab Andrea Amrhein Theodisce tradito comparat.

⁶³ Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 36, nr 188; Leander BOPP (1954), p. 41; Suso BRECHTER (1963), p. 247; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 12.

tamquam sodalis temporalis neque sodalis plenus.⁶⁴ Tamen tota condicio P.ris Andreae Amrhein non erat omnino clara.

Mense autem Octobri a. 1892ⁱ episcopus Herbertus Vaughan eum in Germaniam misit, ut ibidem pecuniam colligeret et iter praepararet, quo in Asia condiciones missionarias inspiceret atque quasdam experientias proprias faceret. Tamen hōc spatio temporis denuo omnia perturbabantur, quā in re ipse P. Amrhein videtur non omnino sine culpa fuisse.⁶⁵ Nam illo tempore P. Amrhein imprimis Friburgi⁶⁶ versabatur et praeter alia in studia incubuit atque valetudinem affectam curavit. Millhilliani autem videntur P.rem Andream Amrhein rogavisse, ut ipse statum suum non satis certum clariorem reddendum curaret, quā de causā idem denuo ad abbatem suum se converteret. Qui quidem rectori Millhilliano scripsit se eidem libertatem dare, si quis illorum separationem P.ris Andreae ab Beuronensibus apud Sanctam Sedem curare vellet. Tamen ipse P. Amrhein videtur hōc noluisse. Epistulis vero, quas P. Amrhein et ad Millhillianos et ad abbatem scripsit atque quibus de quaestionibus quōque pecuniariis agebatur, condicio magis perturbabatur.⁶⁷ Itaque non est mirum, quod P. Andreas Amrhein interea ab abbate mandatum accepit, ut se conferret sive ad Societatem Millhillianam sive ad aliquod monasterium Beuronense. Cum disputationes epistolares continuarentur, abbas Maurus Wolter licentiam suam die 29^o m. Aug. a. 1882^o datam retraxit atque P.rem Andream Amrhein immediate ad monasterium Maretiolense se conferre iussit.⁶⁸ P. Andreas Amrhein Friburgum reliquit, sed neque in Angliam neque ad monasterium Maretiolense itineratus est.⁶⁹ Omnino desperatus in initio m. Febr. a. 1883ⁱ ad Arnoldum Janssen se convertit, qui eum in institutum suum recipere paratus erat. Ad abbatem autem scripsit suppliciter

⁶⁴ Societas Millhilliana distinxit inter sodales temporales [*first-member*] et sodales plenos [*full-member*]. Ut sodalis plenus fieret, P. Andreas Amrhein congregationem Beuronensem relinquere debuisset, id quod ex licentiā ei datā fieri non potuit et quod ipse etiam noluisse videtur.

⁶⁵ De hac re singillatim imprimis Leander BOPP (1954), pp. 43 sqq.; Suso BRECHTER (1963), pp. 248 sqq.; Fritz BORNEMANN (1965), pp. 76 sqq. - Brevius Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 12; Godfrey SIEBER (2002), pp. 119 sq.

⁶⁶ *Freiburg i. Br.*

⁶⁷ De singulis argumentis problematisque *cf.* Leander BOPP (1954), pp. 44 sqq.

⁶⁸ Videtur abbas hōc iussisse, quia rector Millhillianus ei scripserat P.rem Andream Amrhein in Societatem non esse receptum. Tamen hōc realitati non omnino convēnit, quia P. Amrhein non quidem erat sodalis plenus, sed nihilominus sodalis temporalis.

⁶⁹ Secundum Leandrum BOPP (1954), p. 47 nescitur, ubi idem illis diebus fuerit.

rogans, ne licentiam iam datam retraheret neque hunc in modum periculum animae eius inferret. Nam Arnoldum Janssen eum suscepturum esse non postulans, ut congregationem Beuronensem relinqueret. Iam paulo post abbas Maurus Wolter telegraphice licentiam praebuit, quā in Instituto Steylensi cooperari ei permetteretur. Quale internum externumque drama intricatum!⁷⁰

In fine mensis Februarii a. 1893ⁱ P. Andreas Amrhein Romam vectus est, ut ibidem consultationes de propositis consiliisque suis cum Sancta Congregatione de Propaganda Fide institueret.⁷¹ Adiit autem Dominicum Jacobini,⁷² secretarium huius Congregationis,⁷³ qui ab initio P.ri Andreae Amrhein valde favit⁷⁴ et cui eiusdem proposita scripta placuisse videntur. In illā quaestione difficili, num, ut consilia P.ris Andreae Amrhein ad bonum effectum adducerentur, eundem congregationem Beuronensem relinquere opportunum esset, Dominicus Jacobini suasit, ut sive saecularizationem peteret sive rogaret, ut in oboedientiam Congregationis de Propaganda Fide assumeretur.⁷⁵ Insuper secretarius P.ri Andreae Amrhein consilium dedisse traditur, ut alterum temporis spatium «probationis» in Missionariā Societate Steylensi degeret.⁷⁶

Itaque P. Andreas Amrhein inde ab mense Martio a. 1883ⁱ in Instituto Arnoldi

⁷⁰ Has res paulo fusius explicui, ut omnes vicissitudines difficultatesque huius temporis aliquatenus intellegerentur.

⁷¹ *Cfr.* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 108 sqq. - Suso BRECHTER (1963), pp. 250 sq.; Laurenz KILGER (1934), p. 215; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 14; Leander BOPP (1954), pp. 48 sq., qui etiam adnotat non esse omnino clarum, cur P. Andreas Amrhein, postquam abbatis permissionem in Instituto Steylensi versandi accepit, ex improvise Romam vehi decreverit.

⁷² Dominicus Maria [*Dominico Maria*] Jacobini (1827-1900), archiepiscopus atque postmodum cardinalis, inde ex ano 1882^o munere secretarii Sanctae Congregationis de Propaganda Fide fungebatur (usque ad annum 1891^{um}).

⁷³ Ipse Praefectus Sanctae Congregationis de Propaganda Fide illo tempore (1878-1892) erat Iohannes [*Giovanni*] Simeoni (1832-1887).

⁷⁴ Etiam in futurum ille favor Dominici Jacobini Andreae Amrhein eiusque incepto plurimum profuit, cum idem in posterum causas Andreae Amrhein sine circuitū statim papae proponeret.

⁷⁵ Videtur autem Dominico Jacobini haec secunda possibilitas opportunior fuisse.

⁷⁶ Fritz BORNEMANN (1965), p. 86 demonstrat Arnoldum Janssen non voto Congregationis de Propagandā Fide commorationi P.ris Andreae Amrhein in Societate Steylensi assensum esse, sed eum iam antea desiderium ipsius P.ris Andreae explevisse, quia abbas Maurus Wolter hoc concessisset.

Janssen versabatur, ubi multa bona atque utilia percepit atque in colloquiis cum Arnolde Janssen habitis etiam proprias cogitationes suas de incepto suo futuro clariores reddere atque eisdem formam magis definitivam dare valuit. Denuo ergo P. Andreas Amrhein abbatem suum rogavit, ut scriptum ipsi praeberet, quo munus missionarium generaliter ei permetteretur. Eodem tempore Arnoldus Janssen epistulam ad abbatem Maurum Wolter misit, quā explicuit se veram vocationem missionariam P. ris Andreae Amrhein videre et quā abbatem monuit, ne quid sibi retineret, quod Deus ipsi non destinavisset. Quā de causā Andreae Amrhein mandatum amplius concedendum esset.⁷⁷

Effectus autem horum conaminum erat in eo, quod abbas Maurus Wolter die 30^o m. Aug. a. 1883^o scriptum officiale exaravit,⁷⁸ quod ad P. rem Andream Amrhein misit et cuius textus est hic: «... *hisce declaro litteris, nihil, quantum per me licet, obstare, quin eius votum, transeundi a Congregatione nostra Beuronensi in perpetuam oboedientiam erga S. Congregationem de Propaganda Fide, rite adimpleatur.*»⁷⁹

Hāc licentiā acceptā, qualem iam pridem valde desideraverat et quae propter perseverantiam, propter vehementem impetum internum atque propter preces abbati indesinenter exhibitas denique ei attributa est, P. Andreas Amrhein opus suum, quod tantopere ei cordi erat, tandem incohare potuit.⁸⁰ Tamen difficultates tunc non erant finitae, immo revera variis modis et sub variis aspectibus incohabantur.

⁷⁷ Cfr Leander BOPP (1954), p. 51; Suso BRECHTER (1963), p. 251; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 15; Godfrey SIEBER (2002), p. 120.

⁷⁸ Cfr Leander BOPP (1954), p. 51; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 36, nr 188; Suso BRECHTER (1963), p. 252; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 15. - Cum Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 109 scribat se documentum huius licentiae iam mense Martio a. 1883ⁱ Romae Dominico Jacobini monstravisse, fortasse potius agitur de licentiā, quam abbas iam tempore Millhilliano dederat et quā P. Andreas domui missionariae approbatae se adiungere potuit. Nam eādem in relatione Andreas Amrhein, p. 113 scribit se mense Augusto a. 1883ⁱ hoc documentum *definitivum* accepisse.

⁷⁹ Verba originaliter Latina allata secundum Laurentium KILGER (1934), p. 216.

⁸⁰ Jeremias SCHRÖDER: «Wie einst Bonifatius ...». Das karolingische Fulda und der benediktinische Missionsaufbruch im 19. Jahrhundert. In: Norbert KÖSSINGER (ed.): Hrabanus Maurus. Profil eines europäischen Gelehrten. St. Ottilien 2008, p. 113 non sine ironia scribit Andream Amrhein in impetum suum missionarium indesinenter instituisse et iterum iterumque rem suam proposuisse mixtione quādam humilitatis atque pertinaciae, quae imprimis apta esset, quā superiores ecclesiastici paulatim attererentur.

2.2. DE DOMO MISSIONARIA RICHOPAGENSI

2.2.1. De fundatione domūs missionariae

Usque in mensem Novembrem a. 1883ⁱ P. Andreas Amrhein in Instituto Steylensi remanserat iam in rogationem incumbens - ut ipse scripsit⁸¹ -, quam Congregationi de Propaganda Fide propter fundationem proponere voluit. Tamen nondum scivit, quo in loco opus suum incohare posset, quamvis omnimodo consociationem in Germaniā condere voluisset, cum ibidem domus missionaria nondum exstaret. Sed solutio huius quaestionis paulo post praebebatur. Nam P.ri Andreae Amrhein contigit, ut contactum iungeret cum aliquo circulo privato sacerdotum, quibus Christiana missio extera cordi erat.⁸² Ex quibus hominibus hōc in conexū imprimis nominandi sunt Fridericus Scheugenpflug parochus et Georgius Dengler vicarius capitularis. Nam Georgius Dengler mense Iulio a. 1883ⁱ aedificia saecularizata prioris Benedictini monasterii Richopagensis,⁸³ quod in Bavarico Palatinatū Superiore in dioecesi Ratisbonensi⁸⁴ situm erat, emerat. Postquam illi viri supra commemorati consilia P.ri Andreae Amrhein compererunt, eum ad locum inspiciendum et ad consultationes habendas invitaverunt. Itaque mense Novembri a. 1883ⁱ P. Andreas Amrhein in Bavariam profectus est, die 14^o m. Novembris Ratisbonae primā vice cum Friderico Scheugenpflug atque Georgio Dengler convēnit et proximo die unā Ignatium von Senestrey⁸⁵ episcopum Ratisbonensem visitaverunt. Relatio autem ambigua cum hōc episcopo, qui illo primo die satis affabiliter se gessisse videtur, in futurum pro effectū atque

⁸¹ Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 114.

⁸² Cfr Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 116. - Leander BOPP (1954), pp. 55 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 15; Godfrey SIEBER (2002), p. 9. - Videtur autem propter testimonia contradictoria non omnino manifestum esse, unde ille contactus initium sumpserit et quis primo ad quem se converterit.

⁸³ *Reichenbach / Opf.* - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 206.

⁸⁴ *Regensburg.*

⁸⁵ Ignatius von Senestrey (1818-1906) inde ex anno 1858^o erat episcopus Ratisbonensis. Inter Concilium Vaticanum Primum Senestrey pertinebat ad illos, qui dogma infallibilitatis papae stricte defenderant. Postea etiam multas litigationes cum regimine Bavarico ad iura ecclesiastica defendenda habuit. Quod attinet ad quaestiones missionarias, videtur idem tales non magni aestimavisse. - Cfr Johannes KREUZENBECK: s.v. Senestrey, Ignatius von. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 20 (2002), coll. 1328 sqq.; LThK 9 (2000), col. 461.

statū domūs Richopagensis facta est alicuius momenti. Die 26^o m. Nov. a. 1883^o Fridericus Scheugenpflug, Georgius Dengler et P. Andreas Amrhein unā cum architecto quodam Richopagum ad aedificia inspicienda vecti sunt. Quamvis interior aspectus aedificiorum desolabilis fuisse videretur⁸⁶ atque



*Monasterium Richopagensis circiter annum 1830^{um} depictum.
[Cfr Frumentius RENNEN: Leuchter I (1979), p. B 3.]*

nonnulla alia detrimenta loci celeriter perciperentur, tamen P. Andreas Amrhein propositum Georgii Dengler ad aedificium suscipiendum accepit, ut tandem locum certum haberet, quo opus suum incohare posset. Itaque contractū die 19^o m. Dec. a. 1883^o facto aedificia P.ri Andreae Amrhein tradita sunt.⁸⁷

Sed ut aedificia tantopere neglecta inhabitari et adhiberi possent, omnino opus erat eorum restauratione. Hac in re iterum Georgius Dengler erat magno auxilio, qui pecuniam necessariam ipse erogavit. Tamen erat emolumentum,

⁸⁶ Ut ipse Andreas Amrhein refert, aedificia magnā ex parte erant parietinae sine fenestris et cum magnis foraminibus in tecto, quae aedificia solum partim inhabitari potuerunt. - Cfr Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 134; Suso BRECHTER (1963), p. 254, qui verba Andreae Amrhein ex epistulā anni 1922ⁱ depromptā affert.

⁸⁷ Erat officialiter quidem contractus emptionis, sed revera erat tamquam donum, cum P. Andreas Amrhein tantummodo pretium symbolicum decem penningorum solvisset. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 59; Frumentius RENNEN: Leuchter I (1979), p. 16.

quod et primi candidati, qui domui se adiunxerunt, ipsi plurimos labores exanclaverunt et homines quoque, qui in vicinitate vixerunt, auxilium tulerunt.⁸⁸ Incolae vero regionis propinquioris maximā ex parte gavisi esse videntur domum missionariam Richopagi institutum iri, quia aedificia monasterii hunc in modum servarentur et emolumenta com meatūs exspectarent. Tamen non omnia aedificia prioris monasterii domui missionariae erant destinata. Nam quaedam partes manserunt in usū publico. Praeterea ecclesiā monasteriali, quae bene asservata erat, novis inquilinis uti non licuit. Haec enim ecclesia pertinebat ad parochiam Walderbacensem,⁸⁹ cuius parochus nomine Fuchs ex causis, quae non sunt satis perspicuae, toti incepto erat satis infestus.⁹⁰ Decursū autem temporis Richopagensis domus missionaria quibusdam aedificiis areisque coemptis paululum extendi potuit.⁹¹

⁸⁸ Hae condiciones, ut videbimus, etiam in posterum tales manserunt, non solum Richopagi, sed etiam temporibus Ottiliensibus.

⁸⁹ *Walderbach / Opf.* - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 246.

⁹⁰ Idem autem videtur simili modo se gessisse erga illos, qui domo missionariā translata postea alias institutiones Richopagi condiderunt. - Tamen parochi cooperator Aloisius Hamperl domui missionariae favit atque eidem erat magno auxilio.

⁹¹ De his rebus cfr Leander BOPP (1954), pp. 59 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p.17; Frumentius RENNERT (1984), pp. 25 sq.

2.2.2. De P.ris Andreae Amrhein cogitationibus missionariis

Quarendum autem nunc est, quibus argumentis P. Andreas Amrhein opus suum propagaverit et quibus cogitationibus fundamentalibus idem instigatus sit. Quam methodum putavit necessariam esse, ut missio extera esset efficax atque perpetuitatem exserens?

Cogitationes autem missionarias P.ris Andreae Amrhein⁹² bene sequi valemus inspicientes verbi gratiā varia scripta programmatica ab ipso composita, petitiones regimini propositas, libellum Congregationi de Propagandā Fide exhibitum. Primum vero impulsus - uti iam commemoravimus -, quo directio generalis ei monstrabatur, inter studia theologica in praelectionibus Prof.ris Cároli Iosephi Hefele accepit. Illā enim cogitatione captus erat, quā monachi Benedictini tempore mediaevali missione magnas partes Europae ad Christianitatem converterunt. Hōc in conexū imprimis agitur de Sancto Bonifatio eiusque opere missionario.⁹³ Ad tales effectūs bonos in scriptis Andreae Amrhein iterum iterumque refertur.⁹⁴ Alterā ex parte P. Andreas Amrhein, ut Benedictinorum missionem exteram iustificare posset, etiam ad ipsum Sanctum Benedictum recurrere solebat. Nam verbi gratiā ex sententiā, quae Sancto

⁹² De P.ris Andreae Amrhein perceptione missionariā *cf.* Notker WOLF: Missionarische Neubesinnung der Benediktiner im 19. Jahrhundert. *In:* Josef GLAZIK et al.: Warum Mission? Bd. I. St. Ottilien 1984, pp. 152 sqq.; Basilius DOPPELFELD: Benediktiner entdecken die Mission wieder. *In:* Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, pp. 28 sqq.; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. *In:* Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. 100 Jahre benediktinische Missionsarbeit. St. Ottilien 1983, pp. 85 sqq.; Jeremias SCHRÖDER (2008), pp. 112 sqq.; Leander BOPP (1954), pp. 31 sqq.; Laurenz KILGER (1934), pp. 216 sq.; Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. *In:* Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, p. 259.

⁹³ *Cf.* Jeremias SCHRÖDER (2008), pp. 114 sqq., qui etiam commemorat hanc relationem historicam non solum in magnis ecclesiis Benedictinorum missionariorum altaribus sive fenestris Sancto Bonifatio dedicatis manifestari, sed etiam nominibus, quae monachis dabantur. Haec condicio iam apparet in eo, quod primo sacerdoti, qui monasterio missionario se adiunxit, nomen programmaticum Bonifatii impositum est. De illo Magno/Bonifatio Fleschutz *vide infra*.

⁹⁴ *Cf.* ex. gr. Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 1. *In:* Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 62; Andreas AMRHEIN: Prospectus. Das Missionsinstitut und die Missionsgesellschaft von Reichenbach. *In:* Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 344; Andreas AMRHEIN: Die VII Grundgedanken der Eingabe zur Gründung der Congregatio O.S.B. pro missionibus exteris. *In:* Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 454.

Benedicto adscribitur et quā īdem *caritatem* etiam ad alios, qui eā indigent, dirigendam esse dicit,⁹⁵ P. Andreas Amrhein conclusionem sibi aptam traxit scribens: «*Itaque illi religiosi tamquam imitatores talis patris etiam in paganis servandis operentur, eorum veri benefactores corporis animaeque, magistri verae fidei, precum laborisque.*»⁹⁶ Haec vero duplex legitimatio historica P.ri Andreae Amrhein erat magni momenti, cum illo tempore Benedictinis maximā ex parte vitam tantummodo contemplativam ipsis esse aptam persuasum erat.

Ex hac traditione P. Andreas Amrhein sequelas exoriri atque conclusiones trahendas esse putavit. Nam non solum intra se, sed etiam quadamtenus publice interrogavit, cum Benedictini tempore mediaevali tam efficaces missionarii fuissent, nonne tempore quōque modernō ex ipso ordine Benedictino talia exempla sequi maxime opportunum esset.

Tamen saeculo undevicesimo cogitationes quadamtenus missionariae atque quaedam conamina huiusmodi apud nonnullos Benedictinos iam inveniuntur, quae quidem in summā alium scopum habebant ac inceptum P.ris Andreae Amrhein.⁹⁷

⁹⁵ Cfr FAUSTUS: Vita Sancti Mauri. Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti (ed. Iohannes Mabillon). Vol. I (500-600). Lutetiae Parisiorum 1668 (³1935), cap. 17/18, p. 282: «Sanctissimus autem Pater noster [*sc. S. Benedictus*] tantis fletibus et suspiriis motus, talem ad eos protulit orationem: «Si tristandum, dilectissimi Fratres ac filii, pro tali esset negotio, mihi magis quam vobis hinc esset maerendum, qui quantum ad praesens magnis videor destituti solatiis; sed quia dicente Apostolo, *Caritas benigna est*, benignitatem caritatis nostrae omnimodis impendere debemus his quos aliquomodo eā indigere cognoscimus; nec nostra tantum quam aliorum quaerere.» ». - Jeremias SCHRÖDER (2008), pp. 117 sqq. explicat inquisitionibus scientificis fontes critice tractantibus interea apparuisse descriptionem «*Vitae Sancti Mauri*» non esse scriptum Fausti contemporanei, sed esse opus ficticium saeculi noni, quā de causā etiam illa Sancti Benedicti «contio missionaria» ad Sanctum Maurum directa non sunt verba originalia neque ad iustificationem missionis Benedictinae adhiberi potest.

⁹⁶ Textus originaliter Theodiscus. - Andreas AMRHEIN: Prospectus. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 345. Locutio, quae est «*benefactores et corporum et animarum*» etiam invenitur in libello ad Congregationem de Propaganda Fide directo. Andreas AMRHEIN: Eingabe an die Propagandakongregation. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 334. - De recursū ad Sanctum Benedictum cfr etiam ex. gr. Andreas AMRHEIN: Die VII Grundgedanken. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 451 sq.; pp. 453 sq.

⁹⁷ Sic ex. gr. Benedictini Angli, qui quōque traditionem suam mediaevalem respexerunt, in structuris ecclesiasticis in Australiā instituendis multum effecerunt. Etiam P. Bonifatius Wimmer, qui ex abbatiā Mettensi exoriundus erat, hōc in conexū est commemorandus, cum īdem in Americā Septentrionali monasterium Benedictinum

Conditio autem, quae est fundamentalis atque maximi momenti, est cogitatio, quā P. Andreas Amrhein missionariam methodum specialiter Benedictinam adhiberi voluit. Quid hōc significat et quid est novum in eius propositis? Primo ad exempla historica recurrens putavit omnino necessarium esse, ut fides Christiana unā cum cultū civili diffunderetur. In termino autem, qui est «cultus civilis», scilicet subauditur Europaeus. Cum enim existimaret estructuras in Europā mediaevali vigentes fuisse similes ac illae, quae in «regionibus paganis» invenirentur, manifestum ei erat procedendi modum, quem ex. gr. Sanctus Bonifatius in Germaniā adhibuit, etiam in Africā esse efficacissimum.⁹⁸ Ut «homines feri», qui dicebantur, ex statū suo rudi «ad vivendi modum homini dignum» adducerentur, id est ut fieret «sublevatio culturalis», erat unum ex desideriiis principalibus Andreae Amrhein.⁹⁹ Haec coniunctio inter statum animae et statum corporis atque circumiectorum etiam sequelas habet, quod attinet ad ipsam methodum missionariam. Tamen nos hodierni aliquatenus stupefacti sermonem, quem P. Andreas Amrhein tali in conexū adhibet, percipere solemus, cum non congruat cum modo nostro cogitandi loquendique. Sed hac in re condiciones quōque historicae sunt respiciendae. Nam illo tempore in Europā sensus superioritatis culturalis magnā ex parte coniunctus cum mancā scientiā coloniarum earumque cultūs civilis omnibus in stratis socialibus adhuc valebat.¹⁰⁰ Scilicet ab talibus conexibus neque P. Andreas Amrhein liber erat.

Talis vero perceptio missionaria P. ris Andreae Amrhein ad totum hominem, id est ad eius condiciones et internas et externas spectat. Ex hōc sequitur - generaliter dictum - unā cum fide Christianā divulgandā insimul indigenarum eruditionem practicam variis in disciplinis necessariam esse. Ut hunc scopum generalem efficaciter adipisci valeat, secundum eius persuasionem in regionibus missionariis primo unum vel plura centra localia, id est monasteria,

condiderit, unde imprimis Germanos illuc emigratos curatione animarum adiuvari voluit. - De his rebus fusius *cfr* Notker WOLF (1984), pp. 138 sqq.; Basilius DOPPELFELD (1988), pp. 11 sqq.

⁹⁸ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Die Opportunität eines ausschließlich deutschen Missionshauses in Süddeutschland. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 310.

⁹⁹ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Prospectus. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 342, ubi verba ex papae Leonis XIII litteris encyclicis anni 1880ⁱ, quibus titulus est «Sancta Dei Civitas», de prompta affert.

¹⁰⁰ Hos conexūs commemorat imprimis Basilius DOPPELFELD (1988), pp. 30 sq., qui subiungit «mundum veterem» habuisse magnam hereditatem culturalem, sed mentalem horizontem parvum angustumque.

condenda sunt. Eadem sint missionis loca principalia, ubi non solum institutio catechesis praebeatur, sed etiam scholae elementariae condantur, agricultura aliaque munera doceantur, valetudinaria atque hospitia orphanorum exhibeantur. In propinquitate autem indigenis possibilitas vivendi habitandique praebeatur, ut facilius emolumentis frui possint.¹⁰¹ Talia vero monasteria centralia plura emolumenta habent, cum non solum missionarii indigenis optimum exemplum vitae Christianae praebeant, sed cum missionarii ipsi ibidem etiam basim spiritualem habeant, ubi in communi vitā monasticā vires novas hauriant atque ab gravibus laboribus recreentur.¹⁰²

Talis modus procedendi non solum fidem Christianam propagandam respicit, sed etiam aspectūs omnino praticos atque sociales habet. Tamen hac methodo postulatur, ne sacerdos solitarius opus missionarium exanctet, sed e contrario ut plures missionarii insimul tamquam grex coniunctus mittantur, qui sub variis aspectibus cooperentur. Hic aspectus P.ri Andreae Amrhein erat maximi momenti. Nam ut missio Christiana esset effīcax, putavit esse inopportunum, si sacerdos quidam missionarius omnia solus facere et curare deberet. Ex hac deliberatione ad proposita sua specialia pervēnit, quibus unā cum sacerdotibus missionarii laici auxiliatoresque in regiones exteras mitterentur, qui sunt magistri scholares, opifices, specialistae agriculturae, ingeniarii, medici.¹⁰³ Hac vero perceptione missionariā unā ex parte fratribus

¹⁰¹ Cfr Andreas AMRHEIN: Die Opportunität eines ausschließlich deutschen Missionshauses in Süddeutschland. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 310. - Cfr Cyrill SCHÄFER: «Ganz Mönch und ganz Missionar» - Grundlagen der Benediktinermission. In: Missionsblätter 96/4, 2001, p. 4.

¹⁰² De quaestione, num hae deliberationes theoretice optime exaratae cum indigentis practicis atque cum problematis in ipsis regionibus missionariis inventis congruerint, iam in conexū perceptionis P.ri Andreae Amrhein deliberant ex. gr. Basilius DOPPELFELD (1988), pp. 32 sq.; Siegfried HERTLEIN (1983), pp. 87 sqq.; Cyrill SCHÄFER (20019, pp. 3 sq.; Jeremias SCHRÖDER (2008), pp. 115 sq. - De hōc problemate paulo fusius *vide infra*.

¹⁰³ Cfr Andreas AMRHEIN: Die Opportunität eines ausschließlich deutschen Missionshauses in Süddeutschland. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 310; Andreas AMRHEIN: Prospectus. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 354 sqq.; Andreas AMRHEIN: Die VII Grundgedanken. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 462 sq. - Specialiter autem P. Andreas Amrhein in hanc cogitationem incumbit atque proposita sua hac in re exhibet scripto, cui titulus est «*De fratre laico tamquam missionario paganorum*» [Der Laienbruder als Heidenmissionär. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 287 sqq.] et quod primā vice divulgatum est tribus symbolis in periodico, quod est «*Paginae missionariae*» [Missionsblätter 1, 1888, coll. 34/45; 2, 1888, coll. 76/90; 3, 1888, coll. 133/138].

laicis¹⁰⁴ multo maius momentum attribuebatur quam in monasteriis magis contemplativis, alterā ex parte hic iam apperet talis modus, qui hodiernis temporibus in «cooperatione cum populis egentioribus», quae dicitur, adhibetur, id est auxilium, quo homines semet ipsos adiuvere valeant.

Ex hac methodo universali etiam exoritur alia sequela. Nam omnino necessarium est, ut omnes missionarii - sacerdotes et laici - et generaliter quoad vitam spiritualem religiosamque et in muneribus suis specialibus bene docti atque eruditi sint. Itaque - et haec quōque res est nova - P.ri Andreae Amrhein persuasum erat necessario in patriā domum missionariam condendam esse, quae esset tamquam basis missionis exterae.¹⁰⁵ Tamen «domum maternam» Amrhein variis ex causis putavit omnino opportunum esse, cum éadem scopos multiplices haberet.¹⁰⁶ Primo omnium ibīdem missionarii futuri probantur, num ad munus suum apti sint, atque in disciplinis specialibus erudiuntur. Deinde propter hanc eruditionem novi missionarii bene praeparati exoriuntur, qui in regiones missionarias mitti possunt, ut ibīdem missionem Christianam sustentent neque missionarii in terrā extraneā laborantes derelicti sint neque successores habeant. Porro ab «maternā domo missionariā» subsidia, quibus missionarii indigent, curari debent. Denique «domus materna» est

¹⁰⁴ Hos terminos, qui sunt «missionarii adiutores» vel «laici auxilium ferentes», esse aliquatenus ambiguos demonstrat Cyrill SCHÄFER (2006), p. 285, cum P. Andreas Amrhein unā ex parte frugiferam divisionem laborum inter sacerdotes et fratres laicos in animo habuerit, alterā ex parte ipse praeponderantiam muneris sacerdotalis esse sine dubio existimaverit. Tamen P. Andreas Amrhein perceptione suā, quae spectat ad missionaria opera utilia necessariaque fratrum laicorum, tempus suum aliquatenus praecurrit. Similiter iudicant Basilius DOPPELFELD (1988), p. 34; Cyrill SCHÄFER (2001), p. 4.

¹⁰⁵ Hanc quōque «domum maternam» ab initio sub regula Sancti Benedicti constituere voluit.

¹⁰⁶ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Die Opportunität eines ausschließlich deutschen Missionshauses in Süddeutschland. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 310 sq.; Andreas AMRHEIN: Prospectus. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 343 sq.; pp. 366 sq. - *Cfr* Andreas AMRHEIN: Eingabe an die Propagandakongregation. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 336: «*Placetne [...], ut iubeatis me eos viros ac iuvenes qui pro missionibus nunc iam se socios mihi obtulerunt vel postea adiungent, primum congregare in domo propria et idonea [...] eosque ibi per aliquot annos satis probare, ne quis ad opus Evangelii admittatur nisi antea dignum atque aptum se praestiterit, - eosque instruere, alios in litterarum studiis si ad sacerdotium vocarentur vel si ad artem medicinalem et chirurgicam addiscendam bonae indolis viderentur, - alios autem in aliis cognitionibus vel in artibus opificum, ut pro sua quisque facultate sacerdotes missionarios adiuvere vel in certis rebus etiam supplere queant?*» [Textus originaliter Latinus].

refugium missionariorum, qui aegroti fatigative ad vires recreandas in patriam revertuntur. - Haec breviter hactenus de P.ri Andreae Amrhein cogitationibus fundamentalibus.¹⁰⁷

¹⁰⁷ Basilius DOPPELFELD (1988), p. 33 iudicat P.ri Andreae Amrhein his consiliis - etiamsi sub aspectū typi idealis aspiciendae sunt - contigisse, ut propositum extraordinarium exhiberet, quod - mutatis mutandis - usque in hodiernum diem momentum suum non amisisset. - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2001), p. 4.

2.3.3. De foundationis quaestionibus iuridicis

P. Andreas Amrhein ergo inde ex anno 1883^o domum habuit, in quā opus suum magnum incohare atque instituere potuit. Paulo post etiam primi candidati rei se adiunxerunt. Tamen omnino necessario gressūs quidam officiales suscipiendi erant, quibus licentia et ab regimine Bavarico et ab administratione ecclesiae peteretur, ut haec «domus missionaria» iure meritoque exstaret statumque legitimum haberet atque missionarii futuri erudiri possent. Sed ut omnes vicissitudines atque difficultates, quae cum tali officiali licentiā acquirendā cohaerebant, melius intellegantur, condiciones politicae illo tempore in Germaniā et in Bavariā vigentes saltem breviter explicentur oportet.

Digressio: DE «CONFLICTATIONE CVLTVRALI»

Illa magna vehemensque dissensio inter rem publicam Germanicam atque ecclesias Christianas, sed imprimis catholicam, quae in fine saeculi undevicesimi vigeat et quae «conflictatio culturalis»¹⁰⁸ appellatur, varias causas habuit. Unā ex parte illud saeculum mentali dispositione liberalismi atque nationalismi insigne erat,¹⁰⁹ quales cogitationes etiam in disputationibus actionibusque politicis non parvum effectum exseruerunt. Deinde persuasiones erant magni momenti, quas habuit Otto von Bismarck, Germaniae cancellarius, qui quōque res politicas Borussiae direxit. Idem enim confessioni quidem protestanticae adhaerebat, quae tamen magis pietistica fuisse videtur. Itaque ei maximi momenti erat postulatum religiosum, quo officia explenda omnimodo in centro vitae erant. Cum hac re cohaerebat eius persua-

¹⁰⁸ Theodisce: *Kulturkampf*. - Illum terminum ab Ferdinando Lasalle in alio conexū adhibitum Rudolphus Virchow, parlamenti legatus liberalis, assumpsit et eodem usus est significans pugnam ideologicam inter «Germanicum cultum civilem modernum, illuminatum progressivumque» et «Romanam non-culturam contraliberalem, retardatam atque retro versam». - *Cfr* ex. gr. Jürgen STRÖTZ: *Der Katholizismus im deutschen Kaiserreich 1871 bis 1918. Strukturen eines problematischen Verhältnisses zwischen Widerstand und Integration. Teil 1: Reichsgründung und Kulturkampf (1871-1890)*. Hamburg 2005, pp. 167 sqq; Heinrich BORNKAMM: *Die Staatsidee im Kulturkampf*. Darmstadt 1969, pp. 14 sqq.; Johannes B. KIBLING: *Geschichte des Kulturkampfes im Deutschen Reiche. I*. Freiburg 1911, pp. 1 sq.; Erich EYCK: *Bismarck und das Deutsche Reich*. München 1975, p. 193.

¹⁰⁹ *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 111 sqq.; Dieter HERTZ-EICHENRODE: *Deutsche Geschichte 1871-1890. Das Kaiserreich in der Ära Bismarck*. Stuttgart/Berlin/Köln 1992, p.81; Wolfgang J. MOMMSEN: *Das Ringen um den nationalen Staat. Die Gründung und der innere Ausbau des Deutschen Reiches unter Otto von Bismarck 1850 bis 1890*. Berlin 1993, pp. 407 sq.

sio, quā putavit, quamvis crederet Christianismum esse agnoscendum fundamentum omnis potentiae statalis monarchiaeque, religionem esse instrumentum ad potentiam acquirendam stabiliendamque. Sed - id quod hōc in conexū non est obliviscendum - Bismarckius profunda praeiudicia erga catholicismum habuit, quae ei quidem tradita erant, sed de quibus revera non iam deliberavit. Ex talibus praeiudiciis īdem etiam magnam diffidentiam suspicionemque erga catholicismum hominesque catholicos habuit.¹¹⁰

Ad condiciones, quae ad ipsam «*conflictationem* culturalem» adduxerunt, pertinebant etiam actiones consiliaque ecclesiae catholicae. Nam unā ex parte papa Pius IX mense Decembri a. 1864ⁱ scriptum divulgandum curaverat, cui titulus erat «*Syllabus errorum*» et quo modernas doctrinas secundum opinionem suam erroneas enumeravit.¹¹¹ Continebantur autem eodem omnia, quae papa repudiavit et contra quae ipse pugnavit, sed quae ab liberalismo putabantur esse fundamentum moderni cultūs civilis reique publicae. Quod inde irritationes exortae sunt, non est mirandum. Sed maiores difficultates exoriebantur imprimis duobus decretis Primi Concilii Vaticani, quod die 8^o m. Dec. a. 1869^o incohatum erat.¹¹² Nam die 18^o m. Iul. a. 1870^o constitutio, cui titulus «*Pastor aeternus*», approbatur. Quā constitutione dogmata primatūs iuris-

¹¹⁰ Cfr Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 128 sqq.; Andreas LINDT: Protestanten - Katholiken - Kulturkampf. Studien zur Kirchen- und Geistesgeschichte des neunzehnten Jahrhunderts. Zürich 1963, pp. 101 sqq.

¹¹¹ «*Syllabus* complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris Sanctissimi Domini nostri Pii papae IX» (8.12.1864). - Quaedam exempla ibīdem enumerata sunt haec: «I.3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. II.12. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt. V.20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu. V.28. Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas litteras promulgare. VI.39. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. VI.40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur. VII.58. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis. ...»

¹¹² Cfr Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 172 sqq.; Fidelis VAN DER HORST: Das Schema über die Kirche auf dem I. Vatikanischen Konzil. Paderborn 1963; Roger AUBERT: Vaticanum I. Mainz 1965.

dictionis atque infallibilitatis papalis instituebantur.¹¹³ His vero decretis imprimis liberales putaverunt vehementem impetum factum esse in iura rei publicae atque libertatem civium. Sed etiam cancellarius Bismarck existimavit hunc in modum relationem inter rem publicam atque ecclesiam esse violatam, cum eadem iura sibi arrogaret, quae ei non convenirent. Difficultates autem maiorabantur, quia episcopi Germani, quamvis eorum maior pars imprimis dogmati infallibilitatis in disputationibus Concilii contradixisset, tamen decreta Concilii Vaticani sequebantur atque eis oboedientes contra adversarios intra catholicam ecclesiam Germaniae egerunt.

Ad has condiciones accessit, quod anno 1871^o politica factio opposita condebatur, cui nomen erat «Centrum» et quae non solum in parlamento Borussiae, sed statim etiam in electionibus comitorum imperialium magnum effectum exseruit.¹¹⁴ Cum haec factio politica praeter alia foederalismum Imperii Germanici servare atque libertatem civilem religiosamque omnium civium constitutione rei publicae praestare vellet et insuper id efficere vellet, ut civitates foederales, quarum cives maiore ex parte essent catholici, in rebus religiosis culturalibusque prorsus sui iuris essent, Ottoni von Bismarck ab initio erat infesta.

Haec tria elementa, id est Bismarckii praeiudicia generalia erga catholicismum, decreta Primi Concilii Vaticani atque existentia scopique factionis politicae, quae est «Centrum», Bismarckium paulatim ad doctrinam adduxerunt, quā catholici essent adversarii Imperii, qui essent suspecti et quibus confideri non posset, cum unā cum decretis Vaticanis potentiam saecularem potentiae clericali subicere vellent.¹¹⁵ Itaque fides erga rem publicam et

¹¹³ Dogmate «primatūs iurisdictionis» proclamatur papam habere plenam potentiam iuris dicendi in rebus fidei, morum, disciplinae atque directionis. Dogmate «infallibilitatis» constituuntur papae decretā ex cathedrā prolata, quae spectant ad quaestiones fidei morumque, esse «ex sese, non autem ex consensu ecclesiae» infallibilia atque immutabilia. - *Cfr* ex. gr. Georges DEJAIFVRE: «Ex sese, non autem ex consensu ecclesiae». In: *De Doctrina Concilii Vaticani Primi. Studia Selecta annis 1948-1964 scripta.* In Civitate Vaticana 1969, pp. 506 sqq.; Fidelis VAN DER HORST (1963), pp. 257 sqq.; August Bernhard HASLER: *Pius IX (1846-1878), päpstliche Unfehlbarkeit und 1. Vatikanisches Konzil.* Stuttgart 1977, pp. 179 sqq.

¹¹⁴ *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 179 sqq.; Erich EYCK (1975), pp. 195 sqq.; Andreas LINDT (1963), pp. 99 sqq.; Heinrich BORNKAMM (1969), pp. 54 sqq.

¹¹⁵ Commemoranda tamen est res quaedam mira. Nam postquam papae imperium saeculare finitum est atque Roma regno Italico adiuncta est, Mieczysław Ledóchowski, archiepiscopus Posnaniensis [*Posen*], ab papa missus Bismarckium adiit rogans, ut cancellarius Germaniae contra abolitionem civilis dominatūs ecclesiae officialiter se

catholicismus ei erant duae res dissociabiles.¹¹⁶ Ex hac perceptione Bismarckii aliorumque intellegitur, cur putaverint contra catholicos progrediendum esse.¹¹⁷

Ipsa «conflictatio culturalis» legibus manifestata initium habuit, cum decretis Primi Concilii Vaticani divulgatis anno 1871^o sectio catholica Borussici ministerii rei culturalis clauderetur atque administer publicus rei culturalis Henricus [*Heinrich*] v. Mühler dimitteretur atque ab Adalberto Falk, qui erat magis pugnax, substitueretur. Prima autem lex¹¹⁸ ad totam Germaniam spectans in Concilio Foederali mirum in modum promulgata est instigante Iohanne Lutz, qui erat administer rei culturalis atque rei iuridicae in Bavariā, civitate maximā ex parte catholica.¹¹⁹ Agebatur autem de «paragrapho suggestūs», qui dicitur (2.12.1871).¹²⁰ Vetebatur autem hac lege sacerdotibus

verteret, et eum interrogans, num papae in re publicā Borussicā asylum praeberet, si ille Romam relinquere constitueret. Bismarckius autem primum rogatum recusavit, quia cum regno Italico dissensiones habere noluit, sed cogitatio, quā papa residentiam in Germaniā haberet, variis ex causis politicis ei satis attractiva videbatur. Bismarckius ergo anti-catholicismum suum superare valuit, cum politice opportunum videretur. - De hac re *cfr* ex. gr. Erich EYCK (1975), p. 194.

¹¹⁶ *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 199 sqq.; Andreas LINDT (1963), pp. 102 sqq.

¹¹⁷ Adnotandum est hōc in conexū «conflictationem culturalem» non fuisse phaenomenon, quod totā in Germaniā eodem modo vigeat, cum propter foederalismum Imperii politica rei culturalis religionisque spectabat ad iura singularum civitatum foederatarum. Regimen autem totius Imperii tantummodo legibus poenalibus contra catholicismum agere potuit. Itaque in singulis civitatibus «conflictatio culturalis» aliam speciem praebuit atque magnae differentiae animadvertentur. Illa vero «conflictatio» imprimis inveniebatur in Borussiā, in Bavariā, in Badeniā atque in Saxoniā.

¹¹⁸ Non omnes leges inter «conflictationem culturalem» latas singillatim afferam, solum eas commemorabo, quae in conexū nostro generali sunt maioris momenti. Tamen - ut omnes periti sciunt - totus complexus legislationis cohaeret et est magni ponderis.

¹¹⁹ Idem enim Iohannes Lutz, politicus liberalis, conatus erat prohibere, ne decreta Concilii Vaticani ab clero publicarentur, cum putaret inde periculum rei publicae exoriri. Tamen paene omnes episcopi Bavari dogmata Vaticana divulgaverunt comprobatione rei publicae non acquisitae. Ex hac re seriā dissensio cum regimine exorta erat, quā de causā Iohannes Lutz putavit sibi cum Bismarckio cooperandum esse, ut lex quaedam imperialis hac in re promulgaretur. - *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 224 sq.; Dieter LINDNER: Die Entwicklung der Kulturkampfgesetze in Bayern und Preußen. Diss. München 1977, pp. 158 sqq.; Wolfgang J. MOMMSEN (1993), pp. 424 sq.

¹²⁰ *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 224 sqq.; Dieter LINDNER (197), pp. 87 sqq.; Johannes B. KIßLING: Geschichte des Kulturkampfes. II (1913), pp. 1 sqq.; Dieter HERTZ-EICHENRODE (1992), p. 82.

et aliis munere religioso fungentibus res statales officialiter et «de suggestu ecclesiae» praedicantes disputare, ne hunc in modum pax publica perturbaretur. - Alia erat «lex Iesuitarum» (4.7.1872),¹²¹ quō Ordo Iesuitarum aliaeque Congregationes religiosae eidem propinquae ex territorio Imperii Germanici excluderentur. - Deinde commemorandae sunt quattuor «leges Maiales», quae dicuntur (mense Maio a. 1873ⁱ latae),¹²² quibus relatio inter ecclesiam et rem publicam funditus mutabatur et quibus ecclesiam catholicam rei publicae liberali adaptari conamen factum est.

Tamen episcopi, sed etiam reliquus clerus atque cives catholici hac legislatione quidem affecti omnino supprimi non sunt passi et «resistentiā passivā», quae dicitur, condiciones sustinere conati sunt. Cum autem Pius IX litteris encyclicis, quibus titulus est «Quod numquam», illas leges annorum 1873ⁱ et 1874ⁱ irritas esse et divinae institutioni ecclesiae contradicere declararet, «conflictatio culturalis» ad novum culmen adducta est.¹²³ Effectus autem erat in eo, ut regimen Germanicum novam seriem legum ferret, ex quibus in conexū nostro imprimis nominanda est «lex ad ordines religiosos atque congregationes ordinibus similes spectans» (anno 1875^o lata).¹²⁴ Hac lege latā omnes ordines religiosi intra semiannum dissolvendi erant exceptis illis congregationibus, quae institutioni scholari operam dederunt (quae intra quattuor annos dissolvendae erant) et quae in aegrotos curandos incubuerunt. Causa huius legis erat in eo, quod régime putavit imprimis in monasteriis animum ultramontanum atque rei publicae hostilem vigere et monasteria, cum dependerent ab centrīs plerumque extraneis, ab publicis institutionibus Germanicis dirigi non posse.

Quamvis etiam aliis in civitatibus Germaniae «conflictatio culturalis» vigeret, tamen in Borussia haec litigatio totā vehementiā acerbitateque exhibitā est. In Bavariā autem, unde primum incitamentum ad legislationem supraregionalem initium cepit, nihilominus ex specialibus condicionibus historicis politicisque

¹²¹ Cfr Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 239 sqq.; Dieter LINDNER (197), pp. 21 sqq.; Johannes B. KIBLING: Geschichte des Kulturkampfes. II (1913), pp. 17 sqq.

¹²² Cfr Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 246 sqq.; Dieter LINDNER (197), pp. 48 sqq.; Johannes B. KIBLING: Geschichte des Kulturkampfes. II (1913), pp. 138 sqq.; Dieter HERTZ-EICHENRODE (1992), p. 83.

¹²³ Cfr Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 284 sq.; Dieter HERTZ-EICHENRODE (1992), p. 85; Wolfgang J. MOMMSEN (1993), pp. 439 sq.

¹²⁴ Cfr Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 291 sqq.; Dieter LINDNER (197), pp. 143 sqq.; Johannes B. KIBLING: Geschichte des Kulturkampfes. III (1916), pp. 57 sqq.

conflictatio lentius atque modo minus dramatico processit.¹²⁵

Tota autem condicio «conflictationis culturalis» lente et paulatim mutari coepta est, cum Leo XIII die 21^o m. Febr. 1878^o novus papa electus esset. Īdem, qui reconciliationem inter ecclesiam atque cultum civilem modernum instituere voluit, etiam primum gressum in «conflictatione culturali» componendā fecit.¹²⁶ Tamen omnes consultationes cum progressibus atque regressibus usque in annum 1887^{um} productae sunt.¹²⁷

¹²⁵ *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 317 sqq.; Dieter LINDNER (197), pp. 155 sqq.; Johannes B. KIBLING: *Geschichte des Kulturkampfes*. III (1916), pp. 371 sqq.

¹²⁶ *Cfr* Jürgen STRÖTZ (2005), pp. 343 sqq.; Dieter HERTZ-EICHENRODE (1992), p. 85; Johannes B. KIBLING: *Geschichte des Kulturkampfes*. III (1916), pp. 208 sqq.; Rudolf LILL: *Die Wende im Kulturkampf. Leo XIII, Bismarck und die Zentrumsparlei 1878-1880*. Tübingen 1973, pp. 227 sqq.; Wolfgang J. MOMMSEN (1993), pp. 442 sqq.

¹²⁷ Conexūs «conflictationis culturalis» solum brevissime tractavimus, ut saltem conspectus quidam praeberetur, tamen bene scientes totum thema plurimos aspectūs habere atque multis inquisitionibus specialibus dignum esse.

2.2.3.1. De primo contactū cum regimine Bavarico

Condicionibus ergo «conflictationis culturalis» adhuc vigentibus P.ri Andreae Amrhein satis celeriter curandum erat, ut opus suum officialiter comprobaretur.¹²⁸ Itaque paucis diebus postquam Richopagum advēnit, Monacum vectus est, ut ibīdem licentiam statalem peteret. Die 4^o m. Dec. a. 1883^o Bavariae adminster rei culturalis Dr Iohannes Lutz¹²⁹ P.rem Andreae Amrhein recepit,¹³⁰ qui officialem petitionem «ad institutum missionarium condendum» ei tradidit.¹³¹

Videtur autem P. Andreas Amrhein duplicem licentiam petivisse, id est unā ex parte ad institutum condendum, alterā ex parte ad seminarium instituentum, in quō missionarii futuri docerentur.¹³² Petitioni vero adiunxit scriptum,¹³³ quo magnum rei momentum argumentis additiis manifeste demonstrare voluit. Hōc textū, cui primo titulum indiderat «*De seminario Germanico ad cultum civilem Christianum in terris non civilizatis propa-*

¹²⁸ De his primis colloquiis cum regimine Bavarico *cf.* imprimis Leander BOPP (1954), p. 61 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 18 sqq.; Viktor DAMMERTZ: Die staatskirchenrechtliche Grundlegung von St. Ottilien. *In*: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 337 sqq. - Etiam Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 258 sqq.; Hans MAIER: Gründung des ersten deutschen Missionshauses in der Zeit des Kulturkampfes. *In*: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, pp. 13 sqq.

¹²⁹ Dr Iohannes Lutz (1826-1890), qui inter annos 1867^{um} et 1871^{um} fuerat Bavariae adminster rei iuridicae, illo tempore erat in Bavariā vir politicus maximi momenti, cum inter annos 1867^{um} et 1890^{um} munere administri rei culturalis atque inter annos 1880^{um} et 1890^{um} munere praesidentis administratorum fungeretur. Praeterea erat unus ex primariis repraesentantibus «conflictationis culturalis» in Bavariā. - *Cf.* ex. gr. Hans MAIER (1984), p. 14; LThK 6 (1997), col. 1150.

¹³⁰ Videtur autem P. Andreas Amrhein ante hunc conventum consultationes quasdam habuisse cum viris rerum condicionumque peritis, qui quōque cum Iohanne Lutz bene coniuncti erant et qui P.ri Amrhein bona consilia de modo procedendi dederunt. - *Cf.* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 136. - Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 19; Frumentius RENNERT (1984), p. 24; Leander BOPP (1954), p. 65.

¹³¹ Petitiō originalis amissa est (verisimiliter incendio quodam anni 1947ⁱ), sed videntur excerpta quaedam inveniri in aliquo scripto ipsius administri. - *Cf.* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 21; Viktor DAMMERTZ (1972), p. 338 adn. 3; Cyrill SCHÄFER (2006), p. 307.

¹³² Hōc apparet ex petitione secundā, quae postea proponebatur. - De hac re *vide infra*.

¹³³ Andreas AMRHEIN: Die Opportunität eines ausschließlich deutschen Missionshauses in Süddeutschland. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 309 sqq.

gandum»,¹³⁴ P. Andreas Amrhein praeter methodum missionariam sub variis aspectibus praesertim necessitatem indigentiamque alicuius domūs missionariae prorsus Germanicae ante oculos ponere conatus est. Talibus vero argumentis, quibus accentum posuit in aspectum et culturalem et nationalem, regiminis administrique animum ad opus suum propensum reddere voluit demonstrans propositum quidem religiosum etiam ad emolumentum commodumque rei publicae spectare. Tamen omnimodo reticuit dissimulavitque ultimum scopum revera esse Benedictinum monasterium missionarium bene sciens hōc condicionibus politicis vigentibus statim fieri non posse. Itaque videtur ei in animo fuisse domum missionariam primo tamquam societatem inscriptam sive registratam iuris privati legaliter instituere.¹³⁵

Tamen sub hōc aspectū, quo P. Andreas Amrhein omnimodo vitare debuit, ne opus suum aliquam speciem monasterii futuri haberet, ne res in irritum caderet, paululum mirandum est, quod habitū monachali indutus apud administrum Iohannem Lutz apparuit hunc in modum eius suspicionem excitans.¹³⁶

Tamen totum propositum videtur administro non prorsus displicuisse. Nam P. Andreas Amrhein iam die 7^o m. Dec. a. 1883^o eius responsum accepit, quō idem rogabatur, ut opus propositum fusius explicaret et insuper domūs missionariae statuta ordinemque domesticum mitteret.¹³⁷ Insequentibus autem septimanis P. Andreas Amrhein usque ad defatigationem vehementer in haec scripta exaranda incubuit. Statutis autem «*Societatis S.ti Iosephi pro catholicis missionibus exteris*»¹³⁸ declarabatur scopum instituti esse eruditionem missionariam et sacerdotum et candidatorum laicorum atque probatio indolis religiosae moralisque sodalium, quae pro effectū bono missionis esset

¹³⁴ «Ein deutsches Seminar zur Verbreitung der christlichen Kultur in uncivilisierten Ländern».

¹³⁵ Cfr Viktor DAMMERTZ (21972), p. 338.

¹³⁶ Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 137 sq. de hac re refert narrans administrum ipsi in initio aliquatenus difidisse, cum suspicaretur domo missionariā quasi «per portam posticam» novum monasterium conditum iri, quod vero nullo modo liceret.

¹³⁷ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 63 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (21972), pp. 22 sqq.; Viktor DAMMERTZ (21972), pp. 338 sqq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 259 sq.; Hans MAIER (1984), pp. 14 sq.

¹³⁸ «Statuten der St. Josephs-Gesellschaft für die ausländischen katholischen Missionen». - Frumentius RENNER: Leuchter I (21972), p. 23 adn. 23 commemorat hōc primum nomen novi instituti fictum esse propter titulum Instituti Millhilliani, qui erat «St. Joseph's Society for Foreign Missions Mill Hill».

maximi momenti; praeterea receptum iri tales candidatos Germanos bonae valetudinis, qui missioni exterae operam dare volunt. Explicabatur deinde, qualia iura officiaque sodales haberent, qualis esset administratio pecuniaria, qualia essent organa seminarii. Denique agebatur de modo, quo sacerdotes laicique in regiones exteras mitterentur,¹³⁹ atque de quaestione, quomodo expensae pecuniariae erogarentur.¹⁴⁰

Summis viribus intentis P. Andreas Amrhein scripta ab regimine postulata composuerat, ita ut eadem die 5^o m. Ian. a. 1884^o regimini tradere valeret rogans, ut licentia ad Germanicum institutum praeparatorium pro missione extera ei daretur. Tamen hac vice administer Iohannes Lutz non tam celeriter respondit et - sicut saepe in condicionibus officialibus - exspectandum erat.

¹³⁹ Deliberatio erat haec: unāquāque vice, quā numerus duodeviginti sodalium expletus est, duodecim illorum ad regionem exteram mittuntur, ex quibus tres (duo sacerdotes atque unus missionarius adiutor) uno vel duobus annis antea mittuntur, ut stationem missionariam praepararent. Talis modus iteratur, cum numerus denuo ad duodeviginti sodales creverit, et sic porro.

¹⁴⁰ Cfr Andreas AMRHEIN: Statuten für ein Deutsches Seminar der ausländischen Mission in Reichenbach. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 323 sqq. - Tamen Leander BOPP (1954), p. 64 scribit multa ex his statutis numquam ad effectum adducta esse. Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 24 sq. monet horum statutorum ultimam sententiam, quae est haec: «*Statio missionaria in regione exterā semet ipsam sustentat agriculturā*» [textus originaliter Theodiscus], esse tam phantasticam atque realitati non convenientem, ut interrogandum sit, utrum P. Andreas Amrhein eandem revera serio scripserit an sub aspectū politico, ut totum propositum quoad condicionem pecuniariam satis solidum videretur.

2.2.3.2. De quaestionibus ecclesiasticis

Rebus in ministerio sic stantibus, de quibus P. Andreas Amrhein easdem satis opportune se habere putavit, idem die 6^o m. Ian. a. 1884^o petitione ad episcopalem ordinariatum Ratisbonensem se convertit, ut etiam inde permissionem fundandi acciperet. Sed episcopus Ratisbonensis Ignatius von Senestrey postulavit, ut P. Andreas Amrhein primo proprias condiciones iuridicas ordinaret atque testimonia ab abbate accepta Romae comprobanda curaret.¹⁴¹ Itaque P. Andreas Amrhein, cum insuper de initio quodam operis sui iam facto referre valeret,¹⁴² Romam vectus est, ubi die 21^o m. Mart. a. 1884^o Congregationi de Propagandā Fide petitionem suam tradidit.¹⁴³ Hac petitione ad ipsum Congregationis Praefectum cardinalem Iohannem Simeoni directā, postquam breviter cursum vocationis suae missionariae explicuit, P. Andreas Amrhein duas rogationes principales proposuit. Prima autem erat haec: «*Itaque, Eminentissime ac Reverendissime Domine, haec est prima rogatio mea supplex, humilis et devota, ut me, quamvis indignum, ad opus Propagandae Fidei admittere dignemini, eo modo quo res quam primum fieri potest, si beneficio Eminentiae V. Reverendissimae eas obtineam dispensationes quae necessariae sunt, ut operi perpetuo me dedere possim.*»¹⁴⁴ Secundo autem rogavit, ut ei licentia daretur, quā viros iuvenesque in domo quādam speciali ad opus missionarium erudiret eorumque indolem aptam probaret, ut iidem deinde in terris extraneis coenobia missionaria secundum regulam Sancti Benedicti conderent. Hōc quōque in conexū expressis verbis utilitatem atque opportunitatem laicorum fratrum adiutorum demonstrat, qui labores praticos

¹⁴¹ De his rebus fusius cfr Leander BOPP (1953), pp. 65 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (21972), pp. 26 sqq.; Laurenz KILGER (1934), pp. 218 sqq.

¹⁴² Cum ipse Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 137 scripserit se sine rei comprobatione ministeriali Romae petitionem suam exhibere non potuisse, quia eadem tunc fundamento caruisset, sed se illam comprobationem tamen scripto modo die 11^o m. Apr. a. 1884^o accepisse, aliquid quadrare non videtur. Nam mense Aprili a. 1884ⁱ licentiam administri omnino nondum habuit, imprimis non scripto modo. Hanc discrepantiam etiam monet Leander BOPP (1954), p. 65. - De ipsā licentiā statali vide infra.

¹⁴³ Cfr Cyrill SCHÄFER (2006), p. 331. - Adscriptus petitioni est dies 25^o m. Mart. a. 1884^o. Cfr Leander BOPP (1954), p. 66; Theodor WOLF (2003), p. 59; Laurenz KILGER (1934), p. 218. Frumentius RENNER: Leuchter I (21972), pp. 26 sq. hōc in conexū monet miram consuetudinem P. ris Andreae Amrhein fuisse, quā omnes vitae suae eventūs, qui erant maioris momenti, consulto cum aliquo die festo ecclesiastico coniunxisset.

¹⁴⁴ Textus originaliter Latinus. - Cfr Andreas AMRHEIN: Eingabe an die Propagandakongregation. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 333.

exhibituri sunt.¹⁴⁵ Praeterea explicat scopum instituti non ad opus semel exanclandum spectare, sed perpetuitatem respicere. Nam *«hac prima «sacra expeditione» emissa domus illa, ubi praeparabatur, non iam desinat, sed porro permanere et continuari liceat, ut inde oriatur suboles bene probata, qua coenobium sustineatur, vel Deo favente, postea aliquando aliud quoque novum constitui possit.»*¹⁴⁶ Erga Congregationem de Propagandā Fide P. Andreas Amrhein itaque ab initio aperte dixit totam rem ad Benedictina monasteria missionaria condenda spectare.

Petitioni autem subiuncta erant varia testimonia,¹⁴⁷ inter quae etiam erat epistula commendaticia, quam Arnoldus Janssen iam die 21^o m. Sept. a. 1893^o ad Congregationem de Propagandā Fide direxerat et cuius textus est hic:

«Reverendus Pater Andreas Amrhein, presbyter professus Ordinis s. Benedicti, Congregationis Beuronensis, ex permissione Superioris sui Reverendissimi Archiabbotis P. Mauri Wolter die 19. mensis Martii huius anni huc venit. Iam ex longiore tempore consilium ceperat, ut societatem fratrum laicorum, qui pro missionibus vellent laborare, erigeret, et mens eius erat, ut hoc faceret, si fieri posset, in coniunctione nobiscum vel ut unus ex nostris. Ut hospes apud nos receptus per hos sex menses nobiscum erat et optima dedit virtutum exempla. Puto illum bonum religiosum fuisse et adhuc esse et posse etiam alios illius status virtutes verbo et exemplo docere. Praeterea

¹⁴⁵ Andreas AMRHEIN: Eingabe an die Propagandakongregation. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 336.

¹⁴⁶ Textus originaliter Latinus. - Cfr Andreas AMRHEIN: Eingabe an die Propagandakongregation. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 337.

¹⁴⁷ Adiungebantur autem etiam brevis cursus vitae Italice conscriptus; licentia abbatis Mauri Wolter die 29^o m. Aug. a. 1882^o data, quā P.ri Amrhein permittebatur, ut in aliqua congregatione missionariā cooperaretur; licentia abbatis die 30^o m. Aug. a. 1883 data, quā P.ri Andreae Amrhein permittebatur, ut in oboedientiam Congregationis de Propagandā Fide transiret; scriptum commendaticium P.ris Benoît die 8^o m. Sept. a. 1883^o datum; scriptum die 6^o m. Mart. a. 1884^o datum, quō Georgius Dengler et Fridericus Scheugenpflug declaraverunt se aedificia prioris monasterii Richopagensis P.ri Andreae Amrhein tradituros esse; scriptum Mathildae Jörres, directricis Mariani hospitii coenobialis Monaci siti, quā ipsa declaravit se studentes foundationis novae adiuturam esse; scriptum Ratisbonensis episcopi Ignatii von Senestrey, qui declaravit se domum missionariam tamquam «opera pia et privata» in dioecesim suam recepturum esse, si Congregatio de Propagandā Fide assentiretur. - Cfr Cyrill SCHÄFER (2006), p. 338 adn. 2; Leander BOPP (1954), pp. 66 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 27.

omnino non dubito, quin, praesertim in hac causa, omnia ex veritate dicat, ut s. Congregatio verbis eius credere possit, in quantum equidem usque nunc iudicare valeam.

Puto autem, si nunc e congregatione Beuronensi discedere vult, hoc fieri imprimis, quia ibi zelo suo animarum, prout habet, satisfacere nequeat. Quod autem attinet ad societatem erigendam, ipse consilium dedi, ne hoc faciat ut unus ex nostris, si perseverare velit in ista intentione, sed ut erigat congregationem secundum regulam s. Benedicti pro fratribus et laicis et clericis, et laicis specialiter pro missionibus externis deputatam, si ita placuerit s. Congr. de Propaganda Fide. Reperi autem, et illum ipsum iam ad hoc pervenisse consilium.

Nescio, utrum contra hoc obstent difficultates, et quamvis difficile sit, de divina iudicare voluntate, tamen si s. Congregatio velit permittere, ut per eum conatus fiat initiumque, ex successu facile apparebit divina vocatio, poteritque missionibus gratum provenire auxilium. Reverendus P. Amrhein certo omnibus viribus operi incumbet, et quum in multis rebus artem habilitatemque bonam habeat, fratres laicos ipse poterit in multis bene docere et postea fortasse multis missionibus utilitati esse.»¹⁴⁸

Petitio autem P. ris Andreae Amrhein in Congregationis sessione plenariā diei 28ⁱ m. Apr. a. 1884^o tractata est. Tamen domini cardinales, quamvis generaliter assentirentur, rebus sibi oblatis nondum omnino contenti erant, cum ad quaestiones dubias responsa ab P. re Andrea Amrhein habere voluerunt. Nam iidem fusius scire desideraverunt, quibus rationibus P. Andreas Amrhein iuvenes ad munera missionaria praeparare vellet et quid esset de modo professionis monasticae. Denique deliberaverunt, secundum quales normas atque quā dependentiā ab Congregatione de Propagandā Fide domus missionaria erigeretur.¹⁴⁹

Adhuc Romae versatus P. Andreas Amrhein statim explicationes responsorias

¹⁴⁸ Textum originaliter Latinum affert Fritz BORNEMANN (1965), p. 67. Idem autem adn. 2 subiungit sententiam quadamtenus miram, quam Arnoldus Janssen in epistulā praedisponendā scripserat, sed epistulae definitivae non inseruerat, et quae est haec: «*Utrum vero divinitus sit vocatus ad opus tam difficile explendum, de hoc iudicium ferre neque volo neque valeo.*»

¹⁴⁹ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 67 sqq.; Laurenz KILGER (1934), p. 219; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 27 sq.

prolixiores ad has quaestiones exaravit.¹⁵⁰ His quoque novis testimoniis adhibitis Congregatio de Propagandā Fide sessione plenariā diei 23ⁱ m. Iun. a. 1884^o rogationi P.ri Andreae Amrhein, quae ad domum missionariam condendam spectavit, responsum affirmativum dedit.¹⁵¹ Die autem 29^o m. Iun. a. 1884^o papa Leo XIII consultum cardinalium approbavit.¹⁵² Permissio vero scripta die 5^o m. Iul. a. 1884^o data est,¹⁵³ ubi leguntur cum alia tum haec: «... ut tibi fieret facultas fundandi Collegium Missionum Exterarum in pago Reichenbach in Bavaria ... E.mi Patres ... benigne permiserunt, ut dicto operi initium daretur ...».¹⁵⁴ Itaque sub aspectū ecclesiastico opus bene incohari potuit.

Tamen problema quoddam, quod erat magni momenti, restabat solvendum. Agebatur enim de proprio statu P.ri Andreae Amrhein, qui satis clare definiri debuit, ut ipse etiam erga officiales rei publicae bene agere valeret nullam suspicionem evocans. Nam in Bavariā illo tempore ordines monastici adhuc aliquatenus infeste tractabantur. Itaque secretario Congregationis de Propagandā Fide intercedente atque rogante papa die 6^o m. Iul. a. 1884^o P.ri Andreae Amrhein indultum praebuit, quo eius exclaustationem permisit,¹⁵⁵ id est officialis licentia extra monasterium vivendi ei data est. Huius indulti textus originalis est hic: «*Ssmus Dominus Noster ... benigne indulset pro petita facultate vivendi extra claustra, ad beneplacitum Sanctae Sedis, firmo manente voto castitatis, retento sub habitu presbyteri saecularis aliquo*

¹⁵⁰ De professione ex. gr. putavit eandem propter condiciones politicas non in Bavariā proferendam esse, sed missionarios ad regionem extraneam profecturi vota simplicia sive Romae Praefecto Congregationis prolaturos esse sive demum in ipsa terra missionaria. - Cfr Leander BOPP (1954), pp. 68 sq.; Laurenz KILGER (1934), p. 219.

¹⁵¹ Ut Leander BOPP (1954), p. 69 et Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 29 explicant, responsum ad quaestionem, quomodo domus missionaria ab Congregatione de Propagandā Fide dependeret, dilatum erat. Hōc significavisse cardinales opus tamquam experimentum tractavisse, cuius bonum effectum observarent, antequam institutum gradatim ut monasterium constituerent.

¹⁵² Inde ex illo tempore hic dies tamquam dies natalis domūs missionariae atque congregationis futurae habebatur.

¹⁵³ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 69 sq.; Laurenz KILGER (1934), pp. 219 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 28; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 38 nr 199; Hans MAIER (1984), p. 15; Godfrey SIEBER (1992), p. 11; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 87.

¹⁵⁴ Textus originaliter Latinus allatus secundum Laurentium KILGER (1934), p. 220 adn. 36.

¹⁵⁵ Cfr Laurenz KILGER (1934), p. 220; Leander BOPP (1954), pp. 70 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 28; Viktor DAMMERTZ (²1972), p. 339.

*regularis habitus signo; ita tamen ut substantialia votorum suae professionis cum novo statu compatiblea observet, et sub ob[o]edientia Ordinarii Dioecessani loci in quo deget etiam in vim voti religiosi vivere teneatur ...».*¹⁵⁶

Condiciones autem videntur satis clarae esse.¹⁵⁷ Nam neque fuit saecularizatio neque P. Andreas Amrhein ab votis monasticis dispensatus est, et insuper non directe Congregationi de Propagandā Fide subditus erat, sed episcopo dioecessano. Et tota condicio solum ad tempus valebat, id est usque dum Sancta Sedes aliter decreverit.

P. Andreas Amrhein de rebus, quas Romae effecit (et has quidem satis celeriter), contentus esse potuit. Itaque die 10^o m. Iul. a. 1884^o inde profectus in Bavariam revertit.

¹⁵⁶ Textus originaliter Latinus allatus secundum Laurentium KILGER (1934), p. 220 adn. 37, qui praeterea subiungit rescriptum ab Congregatione de Propagandā Fide datum esse, non ab Congregatione Religiosorum.

¹⁵⁷ Leander BOPP (1954), pp. 70 sqq. fusius diligentiusque in hanc quaestionem incumbit problemata quaedam demonstrans, quae cum ipso P.re Andrea Amrhein cohaerent. Nam idem videtur hoc indultum non semper exacte interpretatus esse, cum erga varias personas diversimode de hac re locutus esset. Dixit enim unā ex parte se ab monasterio Beuronensi liberum atque independentem factum esse et directe Congregationi de Propagandā Fide subditum esse. Aliquo autem loco scripsit indultum papale esse dispensationem ab votis. Praeterea dixit se nunc esse clericum saecularem, sed erga alios de quasi-saecularizatione locutus est. Et sic porro. - Fortasse tota perturbatio in condicione explicandā cohaeret cum statu domūs missionariae, quae intrinsecus sicut monasterium instituebatur, extrinsecus vero propter res politicas speciem monasticam omnino vitare debuit.

2.2.3.3. *De novis consultationibus cum regimine*

Sed domi P.rem Andream Amrhein aliae difficultates exspectaverunt. Statim episcopo Ignatio von Senestrey approbationem Sanctae Sedis indicavit, qui tamen, cum rei non favisse videretur, totum opus tantummodo tamquam «inceptum privatum» agnoscere voluit.¹⁵⁸ Inde ergo auxilium non erat exspectandum.¹⁵⁹

Aliud autem problema paulatim exortum est, quia inde ex illo tempore, quo petitionem suam miserat, ab ministerio non iam quicquam audiverat. Videtur enim ministerium rei culturalis primam petitionem P.ris Andreae Amrhein anno anteriore traditam, uti erat, comprobare noluisse.¹⁶⁰ Nam neque seminarium missionarium stricte dictum neque institutum quoddam aliquam speciem monasterialem praebens tamquam agnitam societatem iuribus personae iuridicae collegialis praeditam approbare voluerunt. Nihilominus ipsum propositum domūs missionariae administro Iohanni Lutz non displicuisse videtur. Responso autem negativo ad petitionem dato tota res in irritum cecidisset. Quid ergo erat faciendum? Nova petitio ministerio tradenda erat, sed haec quidem sub specie, quā esset retractata atque modificata petitio prima. Modum autem procedendi mediatores quidam, qui cum administro Iohanne Lutz bene coniuncti erant, P.ri Andreae Amrhein suasisse videntur.¹⁶¹ Petitio

¹⁵⁸ Textum epistulae, quam episcopus per vicarium generalem ad P.rem Andream Amrhein mittendam curaverat, exhibet Frumentius RENNEN (1984), p. 25.

¹⁵⁹ Causae, cur episcopus Ratisbonensis tam infeste se gesserit, sunt variae. Primo videtur generaliter amicus missionis non fuisse. Secundo inceptum P.ris Andreae Amrhein ei erat suspectum. Tertio P.ris Andreae Amrhein modus se gerendi agendique ei displicuit, cum idem episcopum non interrogans semper suā sponte atque suo Marte egit consultationesque cum superioribus ecclesiasticis statalibusque instituit. Secundum Andream AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 142 episcopus post eius reditum ex urbe Romā offensus ei dixit haec: «*Me non indiges. Conare solus, num tibi contingat sine episcopo! Cum administro et etiam cum Roma sine me disceptationes habuisti. Nunc ergo solus quōque continua!*» [Textus originaliter Theodiscus]. - Fortasse ad haec omnia accedit, quod inter illos duos viros propter indoles omnino diversas «chemia non quadrabat», ut dicitur.

¹⁶⁰ De hōc conexū fuse Leander BOPP (1954), pp. 83 sqq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 258 sqq.; Frumentius RENNEN: Leuchter I (1972), pp. 30 sqq.; Viktor DAMMERTZ (1972), pp. 340 sqq. Sed brevius etiam Laurentius KILGER (1934), p. 220; Hans MAIER (1984), pp. 15 sq.; Godfrey SIEBER (1992), pp. 11 sq.; Theodor WOLF (2003), pp. 59 sq.

¹⁶¹ Frumentius RENNEN: Leuchter I (1972), p. 30 putat ipsum administrum Iohannem Lutz solutionem invenisse atque viam monstravisse, cum tamen hac in re officialiter

scripta ministerio tradita est die 18^o m. Dec. a. 1884^o.

Hac vero petitione modificatā¹⁶² P. Andreas Amrhein, postquam de eventis consultationibusque interea actis rettulit, causam huius scripti exposuit, cum condiciones petitionis primariae interim essent mutatae. Nam scripsit se, quia duo magistri, qui docentiam suscepturi essent, se recepissent,¹⁶³ in praesenti ab seminario instituendo abstinere,¹⁶⁴ quā de causā omnia puncta, quae in statutis atque in ordine domestico de rebus scholaribus exhibita essent, non iam valerent. Itaque tunc rogavit, ut consociationem instituere ei liceret, cui titulus esset «Catholica Societas missionaria Germanica ad Africam Interiorem spectans»,¹⁶⁵ cui esset scopus, quo «cultus civilis et religio Christiana in regiones non civilizatas atque paganas» introducerentur.¹⁶⁶ Expressis verbis P. Andreas Amrhein praeterea affirmavit institutum «*neque nunc neque in posterum fore monasterium*».¹⁶⁷ In fine vero petitionis retractatae denuo opportunitas domūs missionariae demonstrabatur, cum eius necessitas cum crescente annisū colonico Germaniae coniungeretur.¹⁶⁸

apparere nollet. - *Cfr* etiam Theodor WOLF (2003), p. 60.

¹⁶² Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 31 sqq. huius petitionis modificatae textum originale sātis longum affert, qui textus copiā officialiter factā traditus est. Idem praeterea analysi sermonis adhibiti atque argumentorum demonstrat homines huiusmodi rei peritissimos P.ri Andreae Amrhein in eādē componendā auxilium tulisse.

¹⁶³ Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 39 scribit hōc argumentum fuisse quadamtenus fictionem.

¹⁶⁴ Secundum consilium modificatum candidati, qui essent futuri sacerdotes vel medici et qui ergo studiis academicis indigerent, in institutis publicis docerentur. Candidati laici, id est futuri missionarii adiutores, in ipsā domo missionariā temporis spatium probandi exercendique degerent. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 33; Leander BOPP (1954), p. 83; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 259.

¹⁶⁵ «Katholische deutsche Missionsgesellschaft für Inner-Afrika».

¹⁶⁶ *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 33; Leander BOPP (1954), p. 83; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 258. Viktor DAMMERTZ (1972), p. 340, qui praeterea adnotat (p. 341) hac in petitione mirum in modum deesse rogationem, ut societas in personam iuridicam constitueretur.

¹⁶⁷ *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 35; Leander BOPP (1954), p. 84; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 259; Viktor DAMMERTZ (1972), p. 340. - Insuper P. Andreas Amrhein proposuit, ut statutis paragraphus insereretur, quo dicitur in societatem socios ordinum religiosorum non receptum iri, etiam si ex iisdem iam egressi essent.

¹⁶⁸ *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 36; Laurenz KILGER (1934), p. 220; Godfrey SIEBER (1992), p. 12.

Manifestum ergo est P. rem Andream Amrhein omnia sive ex petitione extraxisse sive eidem inseruisse, quae ministerio erant magni momenti, ne responsum negativum dandum esset. Revera die 15^o m. Mart. a. 1885^o¹⁶⁹ ministerium rei culturalis¹⁷⁰ consultum exhibuit, quo declaravit foundationem domūs missionariae, cum ibīdem neque institutiones scholares praeberentur neque institutum monasteriale conderetur, licentiā statali non indigere, sed hanc societatem condendam esse consocietatem privatam, quae tantummodo apud magistratūs districtūs indicanda esset.¹⁷¹

Erat autem iudicium, quo utraque pars vivere valuit. Quamvis P. Andreas Amrhein effectum minimum adeptus esset, tamen aliquid habuit, quo opus suum legaliter incohare potuit. Nihilominus illud consultum ministeriale non erat licentia statalis sub aspectū iuris publici et eodem neque iura neque tutela foundationi praebebantur.¹⁷² Tamen et P. Andreas Amrhein et alii eum secuti postmodum hōc consultum appellaverunt licentiam statalem.¹⁷³

Sub fundamento consulti ab ministerio exhibiti die 3^o m. Apr. a. 1885^o Rīchopagi institutum missionarium officialiter instaurabatur et eodem tempore Societas Missionum Exterarum condebatur.¹⁷⁴ Similiter P. Andreas Amrhein opus suum tunc magis propagare valuit, id quod factum est relationibus in actis diurnis divulgatis atque scripto quodam anno 1885^o edito, quod appel-

¹⁶⁹ *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 37; Viktor DAMMERTZ (²1972), p. 342; Leander BOPP (1954), p. 84; Godfrey Sieber (1992), p. 12. - Unde proveniret indicium diei 11^o m. Apr. a. 1885^o [sic ex. gr. Laurenz KILGER (1954), p. 220; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 38 nr 199; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 261] videtur non satis clarum. Explicationem conatur praebere Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 44.

¹⁷⁰ Viktor DAMMERTZ (²1972), pp. 341 sq. ex consultationibus inter ministerium rei culturalis atque ministerium rerum internarum factas, quas exhibet, praeter alia demonstrat miram benevolentiam administri Iohannis Lutz erga P. rem Andream Amrhein eiusque opus apparuisse. - *Cfr* Hans MAIER (1984), p. 16.

¹⁷¹ *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), pp. 37 sq.; Viktor DAMMERTZ (²1972), pp. 342 sq. (cum textū originali huius consulti); Leander BOPP (1954), pp. 84 sq.

¹⁷² *Cfr* Viktor DAMMERTZ (²1972), p. 343; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 37; Leander BOPP (1954), p. 85.

¹⁷³ Sic ex. gr. Laurenz KILGER (1954), p. 220; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 38 nr 199; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 261. - Critice de tali perceptione ex. gr. Viktor DAMMERTZ (²1972), p. 343 adn. 12.

¹⁷⁴ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 85; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 44; Viktor DAMMERTZ (²1972), p. 343; Frumentius RENNER (1984), p. 27.

labatur «Prospectus».¹⁷⁵

Hunc in modum quaedam obstacula initialia quadamtenus superata sunt. Sed non erant ultima. Tamen - sicut etiam posteriores dicunt¹⁷⁶ - mirandum est, quā perseverantiā, confidentiā dexteritateque P. Andreas Amrhein illo tempore, quod generaliter tali incepto religioso non nimis propensum erat, omnia suscepit, ut opus suum instituere valeret.

¹⁷⁵ Andreas AMRHEIN: Prospectus. Das Missionsinstitut und die Missionsgesellschaft von Reichenbach. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 341 sqq. - Hic «Prospectus» erat unum ex primis scriptis, quae Richopagi typis expressa sunt. Eodem autem unā ex parte candidatos attrahere, alterā ex parte difficultates muneris missionarii aperte indicare atque hunc in modum viros non aptos deterrere voluit. - *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2006), p. 339.

¹⁷⁶ *Cfr* ex. gr. Frumentius RENNERT (1984), p. 26; Theodor WOLF (2003), p. 60.

2.2.4. De vitā Richopagensi deque condicionibus internis

Cum P. Andreas Amrhein in fine anni 1883ⁱ aedificia Richopagensia primā vice videret, parietīnas invēnerat. Praeterea nullos candidatos habuit, quibuscum opus suum erigere posset. Tamen haec condicio iam paulo post paulatim mutari coepit, cum primi viri venirent, qui huic incepto se adiungere in animo habuerunt. Primus omnium videtur Hermannus Hofmann, postmodum Fr. Romualdus, fuisse, qui die 6^o m. Ian. a. 1884^o intravit.¹⁷⁷ Cum īdem munere lapicidae fungeretur, non solum illo tempore initiali utilissimus cooperatores erat. Eodem anno etiam vēnit Wolfgangus Hofer, qui die 6^o m. Oct. a. 1884^o intravit et postmodum Fr. Michael factus est.¹⁷⁸ Uterque ergo incepto se adiunxit, antequam consulto statali exhibito domus missionaria officialiter inaugurari potuit. Itaque illi primi candidati sub titulo «operariorum» declarabantur.

Decursū autem anni 1885ⁱ quadraginta duo viri domui missionariae se adiunxerant. Ex quibus nonnulli specialiter nominandi sunt, qui, cum columnae totius operis fierent, deinde nobis saepius occurrent. Agitur primo de Francisco [*Franz X.*] Spreiter, qui P. Thomas factus est et qui inter annos 1906^{um} atque 1920^{um} episcopus Africae Orientalis et inter annos 1921^{um} et 1944^{um} episcopus Africae Meridionalis erat.¹⁷⁹ Deinde commemorandus est Iohannes Christophorus Sauter, qui postea P. Paulus factus est et in monasterio Ottiliensi agriculturam floridissimam instituit atque maximo cum effectū rector hiemalis scholae agriculturae erat.¹⁸⁰ Denique nominandus est Magnus Fle-

¹⁷⁷ Fr. Romualdus, cum monastice iam eruditus esset, in initio per aliquod spatium temporis candidatis praepositus est, antequam Fr. Michael eum secutus est. Idem etiam inter primos erat, qui in Africam orientalem missi sunt. Post reditum denique anno 1900^o dimissus est et anno 1910^o in monasterio Secoviensi [*Seckau*] vitā functus est. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 92; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), pp. 53 sq.

¹⁷⁸ Fr. Michael, qui anno 1890^o in Africam missus erat, duodetriginta annos ibīdem opera missionaria exanclavit. Idem anno 1937^o in archiabbatiā Ottiliensi vitā functus est. Scripserat autem idem notitias autobiographicas (in archivo Ottiliensi asservatas), quae sunt magni momenti quod attinet ad condiciones Richopagenses. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 92 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), pp. 54 sq.

¹⁷⁹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 94; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 55. - Fuisse autem de illo Godfrey SIEBER: Thomas Spreiter (1865-1944), Bischof von Ostafrika (1906-1920) und Südafrika (1921-1944). In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 345 sqq.

¹⁸⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 94; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 56.

schutz, qui studio theologico iam expleto domum Richopagensem intravit.¹⁸¹ Īdem mense Aprili a. 1886ⁱ ab Augustano episcopo Pancratio von Dinkel sacerdotio auctus est¹⁸² et erat hunc in modum iuxta P.rem Andream Amrhein primus sacerdos, qui ad domum missionariam pertinebat.

Tamen ex illis multis candidatis, qui anno 1885^o et etiam anno 1886^o domui missionariae se adiunxerant, magna pars post temporis spatium non nimis longum rem iterum dereliquit.¹⁸³ Hōc praeter alia certe etiam cohaerebat cum vitā durā, asperā atque pauperrimā, quae ibīdem vigebat. Nam unā ex parte ad aedificia restauranda graves labores exanclandi erant, insuper ad vitam cottidianam sustentandam operandum erat, alterā ex parte institutum divitiis non abundabat, id est revera pauperrimum erat.

Nihilominus res paulatim progrediebantur. Nam mense Iulio a. 1885ⁱ reliqua aedificia prioris monasterii Richopagensis (praeter partem orientalem) ab eorum possessoribus emi potuerunt. Ad partes acquisitas etiam pertinebant hortus quidam quadraginta sex decametrorum quadratorum et silva centum octoginta decametrorum quadratorum atque agri quingentorum decametrorum quadratorum.¹⁸⁴ Hi agri valde desiderati erant, ut ex eorum fructibus cibi societatis saltem partim acquiri possent. Tamen productio propria non sufficiebat, ita ut alibi quōque alimenta coemenda erant. Quod comestio non erat luxuriosa verbi gratia apparet etiam ex epistulā, quam recordationes suas referens cooperatores quidam primorum annorum scripserat.¹⁸⁵ Refert enim ĩdem societatem fuisse pauperem atque cibos fuisse simplices. Bis in septimanā parvam portionem carnis praebitam esse. Regulariter vero sodales bene

¹⁸¹ Magnus Fleschutz, qui postea P. Bonifatius factus est, erat anno 1887^o dux primae expeditionis missionariae. Anno 1889^o ĩdem in Africam revertit atque ibīdem febri correptus vitā functus est. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 95; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 56 sq.

¹⁸² Episcopus Ratisbonensis Ignatius von Senestrey sacerdotes pro domo Richopagensi ordinare ab initio recusaverat. Noluerat enim - sic erat eius argumentum officiale - munera sacerdotalia generaliter satis rara ab dioecesi suā abstrahere.

¹⁸³ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 103 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 63 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 13.

¹⁸⁴ De his factis *cfr* Leander BOPP (1954), p.60; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 17.

¹⁸⁵ Agitur de Ignatio [Ignaz] Wällisch tyopthetā, qui iuvenis viginti unius annorum Richopagum venerat, sed ex causis familiaribus anno 1886^o societatem iam iterum relinquere debuit. Ipse autem spatium temporis Richopagi peractum existimavit pulcherrimum vitae suae.

mane cáfeam sine saccharo unā cum pane accepisse, meridie sive iusculum cum pane sive farinacea sive legumina, horā quartā postmeridianā ad merendam semilitram cervesiae cum pane et vespere legumina, poma terrestria, fructūs similiaque.¹⁸⁶ Sed cum agatur de sufficientiā rei, non solum cibi ipsi respiciendi sunt, sed etiam eorum copia.¹⁸⁷

Decursū anni 1885ⁱ magni progressūs in aedificiis restaurandis facti sunt, imprimis quia candidati, qui interea advenerant, in rebus practicis versati plurima efficere valuerunt. Sic ex. gr. vetus refectorium iterum adhiberi



*Domus missionaria circiter annum 1886^{um} receptum.
[Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1972), p. B 3.]*

potuit cenaculum, etiam culina denuo in usū erat. In priore oeco capituli usque ad mensem Martium a. 1886ⁱ institui potuit cappella.¹⁸⁸ Varias quoque opificinae instruebantur, velut opificina claustraria, officina ferraria, opificina vestificum, opificina pictorum et sim., denique anno 1886^o pistrina. Ad aedificia anno 1885^o acquisita pertinebat quoque parva bracīna. Decernebatur autem eandem modesto modo in usū haberi.¹⁸⁹ Sed cum aliis in opificinis ipsi candidati operarentur, ad bracīnam sustentandam specialista erat necessarius. Similis condicio vigebat in typographeo, quod P. Andreas Amrhein consilium

¹⁸⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 97; Frumentius RENNER: Leuchter I (1972), pp. 62 sq.

¹⁸⁷ Tamen illius temporis populus simplex non alio modo nutriebatur.

¹⁸⁸ Cfr Leander BOPP (1954), p. 60. - De talibus progressibus bona notitia reddita est ex relationibus, quae regulariter ad magistratūs districtūs mittendi erant.

¹⁸⁹ Leander BOPP (1954), pp. 98 sq. refert in bracīnā in initio cervesiam solum ad propriam indigentiam esse coctam, sed inde ab mense Ian. a. 1887ⁱ cervesiam etiam ad cauponas in propinquitate sitas venditam esse.

Arnoldi Janssen secutus instituit.¹⁹⁰ Ibīdem quidem res quaedam minores imprimebantur, sed scopus primarius fuisset periodicum edere, cui titulus «*Richopagensis Nuntius Missionarius*».¹⁹¹ Tamen propter nonnulla obstacula, inter quae etiam illud, quod redactor deerat, inceptum differendum erat. Periodicum quoddam missionarium denique in monasterio Ottiliensi edi potuit.

Maximi autem momenti iam in domo Richopagensi erat vita spiritualis.¹⁹² Nam - uti iam dictum est - P.ri Andreae Amrhein ab initio non solum in animo, sed maxime cordi erat vitam internam instituti sui monastice constituere, et hōc quidem more Benedictino. Etiam in «Prospectū», quem ad futuros candidatos informandos instruendosque composuerat, manifeste apparet domum missionariam esse inceptum monasticum.¹⁹³ Voluerat vero sodales domūs missionariae aliquando veros Benedictinos fieri. Itaque in iisdem instruendis docendisque īdem exemplum secutus est, quo ipse monastice erudiebatur, nempe exemplum Beuronense. Quomodo autem spatium temporis cottidianum ab horā quartā matutinā usque ad horam nonam et dimidiam vespertinam inter preces et labores distributum fuerit, aliquatenus iam



*P. Andreas Amrhein
ciricter quadraginta quinque annos
natus. *)
[Cfr Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER*

¹⁹⁰ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 96 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), p. 62.

¹⁹¹ «Reichenbacher Missionsbote».

¹⁹² De hōc themate cfr ex. gr. Leander BOPP (1954), pp. 99 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1972), pp. 58 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), pp. 13 sq.

*) Quamvis ipse P. Andreas Amrhein res technicas maxime dilexerit atque etiam in artem photographiam incubuerit, praeterea saepe publice apparuerit egeritque, tamen paucissima solum photographemata ipsius exstant.

¹⁹³ Cfr Andreas AMRHEIN: Prospectus. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 348 sqq. - Mirum autem est, quod P. Andreas Amrhein ausus est talia tam aperte divulgare atque propagare, cum bene sciret in Bavariā illius temporis nova instituta monastica condi non licere et cum ipse in petitione suā retractatā paulo antea affirmavisset inceptum suum numquam monasterium fore et cum insuper bene sciret institutum suum ab magistratibus observari.

apparet ex «ordine domestico».¹⁹⁴ Praeterea ipse P. Andreas Amrhein plurimis in consultationibus sodales de regula Sancti Benedicti instruxit.¹⁹⁵

Videtur autem P. Andreas Amrhein optimam facultatem habuisse, quā candidatos non solum attrahere, sed eos etiam ad perseverandum adducere atque ad magnum opus atque munus futurum suscipiendum inflammare ita scivit, ut illi, qui ab re non defecerunt, omnes difficultates initiales susperare valerent, etiamsi ipse disciplinam oboedientiamque stricte observandas curavit.¹⁹⁶ Itaque magno impetū interno omnes affecti sunt, cum die 29^o m. Sept. a. 1886^o tredecim fratres intra missam sollemnem susceptionem habitūs celebrare possent.¹⁹⁷ Difficultas quaedam tamen erat in eo, quod P. Andreas Amrhein saepe et diutius ab domo Richopagensi aberat, ut imprimis foundationem legaliter stabiliendam curaret. Itaque candidatos saepe solum per vicarium (cui tamen praecepta diligentissima dederat) atque ex longinquo docere, eorum animos erigere eosque in bonam rectamque viam dirigere valuit.¹⁹⁸

Quod attinet ad institutiones scholares in domo missionariā praeendas, condiciones etiam faciles non erant.¹⁹⁹ Nam secundum ministerii consultum P.ri Andreae Amrhein in societate privatā institutiones officialiter exhibere non licuit, aliter speciali petitione licentia ministerii roganda erat. Tamen videntur in domo missionariā institutiones quadamtenus regulares sub specie «docentiae privatae» praebitae esse,²⁰⁰ quamvis non essent legales. Demum die 27^o m. Iun. a. 1886^o P. Andreas Amrhein necessariam petitionem ad

¹⁹⁴ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Haus- und Disziplinarordnung. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 319, § 11.

¹⁹⁵ *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 3. *In*: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 144.

¹⁹⁶ Illo tempore Richopagensi P. Andreas Amrhein constitutiones exarare iam coepit. Cum autem illae constitutiones tempore Ottiliensi demum approbatae sint, de hac quaestione *vide infra*.

¹⁹⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 162 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), pp. 68 sq.

¹⁹⁸ Eius absentia frequens ei saepe opprobrio dabatur, etiam temporibus posterioribus. Interdum talia ab ipsis fratribus prolata sunt, sed saepius ab observatoribus externis.

¹⁹⁹ *Cfr* de hac re fusius Leander BOPP (1954), pp. 86 sqq.; brevius Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), pp. 57 sq.

²⁰⁰ Cum Magnus Fleschutz - ut Leander BOPP (1954), pp. 87 sq. et Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 57 referunt - episcopo Augustano epistulariter narraverit se «in classibus inferioribus» linguam Latinam, arithmeticam similiaque docere, haec res aspectum quendam regularitatis atque structurae habet.

ministerium direxit, quā praeter alia imprimis rogavit, ut cursūs scholares instituere ei liceret, quibus unā ex parte candidatos probaret, num in sectionem primam recipi possent, et quibus alterā ex parte tales candidatos ad scopos missionarios erudire posset, qui aetate nimis proveci essent, ut in scholis publicis studia peragerent.²⁰¹ Sed ipse P. Andreas Amrhein mense Decembri anni 1886ⁱ hanc petitionem iterum retraxit, verisimiliter quia ei significabatur eandem approbatum non iri. Tamen institutiones «privatae» continuabantur.²⁰²

Alia autem in re iam anno 1885^o progressus quidam effectus est. Agitur enim de sororibus, quae domui missionariae adiungebantur.²⁰³ Tamen huiusmodi dilatio societatis videtur non omnimodo praecogitata fuisse. Quamvis P. Andreas Amrhein de momento bene sciret, quod sorores in operibus missionariis exanclandis haberent, in petitione ad Congregationem de Propagandā Fide nihil de missionariā consociatione mulierum condendā commemoravit et in petitione ad régime directā expressis verbis scripsit missionarios in regione extraneā tantummodo viros indigenas respecturos esse, educationem Christianam mulierum ab unā ex multis congregationibus sanctimonialium iam exstantibus curandam esse.²⁰⁴

Tamen hoc principium celeriter mutatum est, cum P. Andreas Amrhein mense Septembri a. 1885ⁱ Monasterii²⁰⁵ in conventū catholicorum versaretur, ubi inceptum suum propagavit. Ibīdem autem quattuor mulieres ei praesentatae sunt, quae ad munus missionarium attrahi possent. Et P. Andreas Amrhein

²⁰¹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 87; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 58 adn. 59.

²⁰² De scholā missionariā paulo fusius *infra*.

²⁰³ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 104 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), pp. 65 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), pp. 15 sq.; Ruth SCHÖNENBERGER: St. Ottilien und Tutzing - getrennt verbunden. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 181 sqq.

²⁰⁴ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 34 (textus petitionis modificatae). - In scripto, cui titulus «*De septem cogitationibus fundamentalibus*» [Andreas AMRHEIN: Die VII Grundgedanken. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), pp. 466 sq.] P. Andreas Amrhein quidem hanc cogitationem de sororibus missionariis exhibet ut iam ab initio sic ab ipso praeceptam, sed Cyrill SCHÄFER (2006), p. 446 explicat hanc cogitationem ei non fuisse antequam petitionem ad Congregationem de Propagandā Fide tradidisset, e contra fuisse effectum ex condicione conventūs catholicorum exortum. Similiter Leander BOPP (1954), p. 104. - Aliter de hac re Godfrey SIEBER (1992), p. 16; Ruth SCHÖNENBERGER (2003), pp. 182 sqq.

²⁰⁵ *Münster / Westf.*

erat talis, qui semper bonam occasionem cognoscere valuit, cum ei occurrit. Illas quattuor mulieres,²⁰⁶ inter quas erat Catharina Scheins (postmodum superiorissa sororum), sibi operique suo conciliare valuit. Illae vero ab hōc incepto tantopere attractae erant, ut statim rei se adiungerent. Iam die 24^o m. Sept. a. 1885^o Richopagum advēnērunt.

Sororibus autem in parte occidentali aedificiorum habitatio praeparabatur, ubi omnino separatim vivere potuerunt. Operabantur eadem in culina, lavandaria purganda susceperunt, in oeconomia tractanda cooperatae sunt et etiam aegrotos curaverunt, cum praesertim Catharina Scheins erat nosocoma. Officialiter autem sorores habebantur famulae domesticae.

Quamvis domus missionaria Richopagensis paulatim bene cresceret atque iam bene agnosceretur, tamen res non tam bene se habebant quam fortasse videbantur. Huius condicionis plures causae erant. Unā ex parte iam in consulto ministerii legebatur necessarium esse, ut régimen indesinenter attentionem suam verteret ad processum actionesque instituti, ne quid illicitum fieret.²⁰⁷ Talis observatio exhibenda tradita est magistratibus districtūs Rotegae,²⁰⁸ ad quem domus missionaria pertinebat. Iidem autem mandatum diligentissime (interdum nimis diligenter) expleverunt domum missionariam acriter observantes atque omnia, quae acciderunt, singillatim relationibus nuntiantes.²⁰⁹ Hanc condicionem non fuisse nimis iucundam unusquisque sibi imaginari potest. Tamen - ut vidimus - illae suspensiones sub aspectū legum non erant sine causa.

Aliud erat problema locale. Nam ad aedificia acquisita vix pertinebant agri neque alii coemi potuerunt, quā de causā oeconomia sufficiens institui nequiebat. Praeterea monasterium Richopagense in loco vere remoto ita situm erat, ut proxima statio cursualis itinere duarum horarum et proxima statio ferriviaria itinere quattuor horarum abesset. Quae condiciones domui missio-

²⁰⁶ Hae erant Benedicta (Elisabetha) Sievering, quae anno 1887^o inter primas quattuor sorores erat, quae in Africam missae sunt; Theresia (Anna Augusta) Smedding, quae Richopagi societatem iam iterum reliquit; Aloisia (Gertrudis) Beckers, quae mense Decembri a. 1886ⁱ societatem reliquit; Catharina (Iohanna) Scheins, quae deinde superiorissa sororum facta est. De illa vero fusius *infra*. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), p. 66, sed imprimis Leander BOPP (1954), pp. 104 sqq., qui iam hōc in conexū inquisitiones criticas de persona Catharinae Scheins exhibet.

²⁰⁷ *Cfr* Viktor DAMMERTZ (²1972), p. 342 (textus consulti ministerii).

²⁰⁸ *Roding / Opf.* - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 208.

²⁰⁹ De hac condicione fusius Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1972), pp. 44 sqq., qui etiam quosdam eventūs enarrat.

nariae, cui coniunctiones com meatūs necessariae erant, non ita opportunaerant.

Sed maximi momenti erat relatio cum episcopo Ratisbonensi Ignatio von Senestrey, quae generaliter non nimis bona erat.²¹⁰ Quod idem vero neque candidatis sacerdotii neque sacerdotibus dioecesis suae permisit, ut in domum missionariam intrarent, et praeterea sacerdotes pro domo missionariā ordinare recusavit,²¹¹ huic incepto erat maximo detrimento. Quā de causā verus progressus atque prosperitas exspectari non potuerunt.

Itaque cum episcopus Augustanus Pancratius von Dinkel domūs missionariae sodalem Magnum Fleschutz sacerdotem ordinaret, P. Andreas Amrhein novos nexūs iungere valuit et de possibilitatibus prosperioribus in alia dioecesi inveniendis cogitare coepit.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 175, 2009, 17-67]

²¹⁰ Generaliter de hac relatione *cf.* Leander BOPP (1954), pp. 73 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), pp. 72 sqq., qui condicionem quōque explicare conantur.

²¹¹ *Cfr.* ex. gr. Leander BOPP (1954), p. 73; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1972), p. 78; Theodor WOLF (2003), p. 58; Suso BRECHTER (1963), p. 257.